

**www.e-rara.ch**

**Commentaria In Acta Apostolorvm, Epistolas Canonicas Et  
Apocalypsin**

**Lapide, Cornelius a  
Antverpiæ, M. DC. XXVII**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-143778>

Caput decimum.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C A P V T D E C I M V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

**C**ornelius Centurio Romanus à S. Petro iussu Dei, per visionem lintei & quadrupedum, sua significantis, in fide Christi instruitur & baptizatur; itaq; Gentibus omnibus palam aperitur ostium ad Euangelium & Ecclesiam.

1. **V**ir autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, Centurio cohortis quæ dicitur Italica, 2. religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper: 3. is vidit in visu manifestè, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli. 4. At ille intuens eum, timore correptus, dixit: Quid est, Domine: Dixit autem illi: Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ, ascenderunt in memoriã in conspectu Dei. 5. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accersis Simonem quemdam, qui cognominatur Petrus: 6. hic hospitatur apud Simonem quemdã coriarium, cuius est domus iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat facere. 7. Et cum discessisset angelus, qui loquebatur illi, vocavit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum, ex his qui illi parebant. 8. Quibus cum narrasset omnia, misit illos in Ioppen. 9. Postera autem die iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora, ut oraret circa horam sextam. 10. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: 11. & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, 12. in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terræ, & volatilia cæli. 13. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide & manduca. 14. Ait autem Petrus: Absit, Domine, quia numquam manducaui omne commune & immundum. 15. Et vox iterum secundo ad eum: Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris. 16. Hoc autem factum est per ter: & statim receptum est vas in cælum. 17. Et dum intra se hæsitaret Petrus, quidnam esset visio, quam vidisset: ecce viri, qui missi erant à Cornelio, inquirentes domum Simonis, astiterunt ad ianuam. 18. Et cum vocassent, interrogabant, si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. 19. Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei: Ecce viri tres quærunt te. 20. Surge itaque, descende, & vade cum eis nihil dubitans: quia ego misi illos. 21. Descendens autem Petrus ad viros, dixit: Ecce ego sum, quem quæritis: quæ causa est, propter quam venistis? 22. Qui dixerunt: Cornelius Centurio, vir iustus, & timens Deum & testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum, responsum accepit ab angelo sancto, accersire te in domum suam, & audire verba abs te. 23. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die surgens profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum. 24. Altera autem die introiuit Cæsaream. Cornelius verò expectabat illos, conuocatis cognatis suis, & necessariis amicis. 25. Et factum est, cum introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius, & procidens ad pedes eius adorauit. 26. Petrus verò eleuauit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. 27. Et loquens cum illo intrauit, & inuenit multos qui conuenerant: 28. dixitq; ad illos: Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo, coniungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem. 29. Propter quod sine dubitatione veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me? 30. Et Cornelius ait: A nudius quarta die vsque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste candida, & ait: 31. Corneli, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuæ commemoratæ sunt in conspectu Dei. 32. Mitte ergo in Ioppen, & accersis Simonem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. 33. Confestim ergo misi ad te. & tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt à Domino. 34. Aperiens autem Petrus os suum dixit: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: 35. sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi. 36. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Iesum Christum: (hic est omnium Dominus.) 37. Vos scitis quod factum est

verbum per vniuersam Iudæam: incipiens enim à Galilæa, post baptismum quod prædicauit Iohannes, 38. Iesum à Nazareth: quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. 39. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum, & Ierusalem. quem occiderunt suspendentes in ligno. 40. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri. 41. non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo; nobis, qui manducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit à mortuis. 42. Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum & mortuorum. 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. 44. Adhuc loquente Petro verba hæc: cecidit Spiritus sanctus super omnes: qui audiebant verbum. 45. Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro: quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. 46. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. 47. Tunc respondit Petrus: Numquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? 48. Et iussit eos baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tunc rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus.

VERS. I.

**I**N CÆSAREA] Non Philippi, sed Palæstinæ, quæ sita erat in littore maris Mediterranei, eratque munitissima: hinc & turris Stratonis dicta est. Erat enim quasi arx & antemurale Palæstinæ: vnde à Romanis firmo præsidio custodiebatur, in quo centurio erat Cornelius. Cæsarea conuersa ad Christum, facta est Ecclesiarum Palæstinæ metropolis, sub se continens Ecclesiam Hierosolymitanam: tum quia Cæsareæ conuerso Cornelio, apertum fuit ostium Ecclesiæ Gentibus: tum potius, quia Cæsarea primitus sub Romanis erat Palæstinæ metropolis, & maxima ciuitatum Iudææ, teste Iosepho lib. 3. de Bello c. 14. Sed postea anno Christi 553. Vigilius Papa in Concilio Constanti-nopol. Hierosolymitanam Ecclesiam fecit Patriarchalem, eique subiecit Cæsareensem, ita Baron. anno iam dicto.

**N**OMINE CORNELIUS] Videtur hic fuisse Italus (erat enim centurio cohortis Italicæ) & Romanus. Romæ enim illustres celebresque fuere Cornelij, & domus, imò gens, Corneliorum nobilissima: sicut in Belgio ampla est familia Corneliorum, ex qua ego prognatus sum: vnde omnes ex illa oriundi cognominantur Cornelij. Romæ enim illustris fuit Cornelius Cossus tribunus militum, qui Tolumnium Laertem Veientium regem occidit, secundoque opima spolia Ioui Feretrio retulit, teste Liiuoli. 4. decad. 1. Et Cornelius Centimalus, qui cum Annibal mœnibus appropinquaret, trepidante vrbe, ei occurrens, extra urbem castra posuit, teste Plutarcho. Et Cornelius Merula Consul, qui contra Boios in Galliam missus, duodecim milia hostium cecidit, teste Liiuo de bello Maced. libr. 5. Et Cornelius Merula, superioris nepos, flamen Dialis, qui ingresso urbem Mario, ne in eius, vtpote hostis, potestatem veniret, in Iouis æde venis succis sibi mortem consciuit, sacerdotisque sui sanguine foci vetustissimi maduere, inquit Valerius Max. lib. 9. c. 12. Similes fuere plurimi: inter quos emicuere Cornelij Scipiones, præsertim P. Cornelius Scipio, cognomento Africanus à deuicta Africa, bis consula-

Corneliorum familia.

**A**ris, & censorius, ac triumphalis, ter princeps Senatus, qui fratrem habuit consularem & triumphalem, nepotem verò filij adoptione bis consularem, bis triumphalem, & censorium, & augurem: cuius soror Cornelia mater Gracchorum, virago fuit magni animi, prudentiæ & eloquentiæ, quam laudat Quintil. lib. 1. c. 1. & Cicerò in Bruto. Fuit ergo Romæ Corneliorum familia non vna, sed plurimæ, adeo vt gentem integram conflare posset. Eius enim familiæ, & quali partes erant Scipionum, Lentulorum, Cinnarum, Balborum, Merularum, Rutulorum, Cethegorum, Mamercorum, Dolabellarum, Mammularum, Seuerorum, & aliæ plures, quas fusè recenset Ant. Augustinus libr. de Familiis Romanorum. Ex his ergo oriundus videtur hic Cornelius Centurio. A primo enim illustri Cornelio, filij, nepotes & posteri omnes dicti sunt Cornelij.

**P**orrò nonnullis eruditissimis ita dicti videntur à cornu, quasi cornei, robusti & constantes. Vnde S. Cornelius Romanus Pontif. & Martyr, S. Cypriano per literas familiaris, pingitur cum cornu in manu: quia Decio & Volusiano Imp. constantissimè restitit, vti narrat S. Cyprianus. cornu enim est robur animalium: vnde cornu symbolum est fortitudinis, victoriæ, regni, gloriæ & triumphis, iuxta illud de Ioseph, *Cornua rhinocerotis cornua illius*, Deut. 33. 17. Et psalm. 43. 6. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu*. Et psalm. 91. 11. *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum*. Et psalm. 131. 17. *Illuc producam cornu Dauid*. Et psalm. 111. 9. *Cornu eius exaltabitur in gloria*. Et Zachar. 1. 21. *Hæc sunt cornua quæ ventilauerunt Iudam*. Hinc psalm. 97. *Psallite Domino, ait, in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ*, hoc est mysticè, in robore virtutis. *Duas*, ait ibidem S. Hieron. *habete tubas, & argenteam, & corneam. Argenteam, vt habeatis sermonem: corneam, vt habeatis virtutem*. Legimus in Leuitico: *Nullum animal offeratur, nisi quodcumque cornutum est, &c.* Et nos ergo quamdiu habemus cornu, meremur victima esse Dei. Si autem cornu nostrum fuerit excussum, quasi debiles sumus, & inter sacerdotes Dei venire non possumus. Et S. August.

Dicta à cornu

gust. ibid. Cornu, ait, excedit carnem, necesse est vt carnem superando sit firmum ad perdurandum, & capax vocis. Qui vult esse tuba cornea, superet carnem, transcendat carnales affectus. Et inferius: Tuba cornea te erigat aduersus diabolum, non tuba carnea aduersus fratrem tuum. Quocirca S. Cornelius quasi roboris antistes & Martyrum primipilus, ad robur æquè ac ad decus martyrij impetrandum, à fidelibus inuocari solet. Ita, vt alios taceam, eum sibi cognominem martyrij causa inuocare solebat Cornelius Musius, apud Belgis Poëta laureatus, qui proinde hunc ei hymnum sæpè concinebat:

Beate Christi Pontifex, Christi Martyr inclyte,  
Hanc gratiam Cornelio tuo benignus impetra;  
Vt exprimo quem nomine, te charitate, te fide,  
Et asserenda audaciâ te veritatis exprimam.

ac ab eo voti compos effectus est. Nam Lugduni Batauorum sub annum Domini 1572, à Calvinistis naso, auribus, manuum pedumque digitis truncatus, trahi in foro affixus, & laqueo strangulatus, anno ætatis 72, gloriosum obiit martyrium, vti refert Aubertus Miræus in Elogiis Belgicis.

vel à corde.

Vel certè Cornelius dicitur à corde, quasi cordatus. q. d. Corneli cor ne linque solo; cor sit in æthere, non in ære; in sole & cælo, non in solo & salo. Talem enim decuit esse hunc Cornelium, primipilū Ecclesiæ Gentilis, qui Gentilibus omnibus quasi dux & antesignanus viam ad Ecclesiam, imò iter in cælum panderet; nimirum nobilem Romanum, militum ducem, qui nobilibus Romanis, militibus & principibus fidei & virtutis exemplum daret: vnde eum paulò post secuta sunt tot agmina Romanorū, præsertim militum & nobilium, non tantum ad fidem, sed & ad martyrium. Fuit ergo ipse gloria gentilitatis, & Gentium primitiæ, ait Origen. homil. 11. in Numer. & S. Hieron. ad Saluinam: Primus, ait, Cornelius salutem Gentium dedicauit.

Centurio  
quis?

CENTURIO] Qui centuriæ militum præerat, quæ primò constabat centum militibus: sed variis de causis subinde ad auctus est hic numerus. Caietan. opinatur Cornelium hunc fuisse Centurionem primæ cohortis ex decem, quibus constabat legio, qui proinde primipilus dicebatur, cui præferebatur vexillum aquilæ, quod erat Romanorum insigne, ac 400. milites in prima acie gubernabat, quasi primi ordinis ductor, teste Vegetio lib. 2. c. 6. Vnde & equestribus ornamentis censuque decorabatur, vti docet Lipsius lib. 2. de Militia Romana.

Cohors  
quis?

COHORTIS] Græcè, ἐκ αὐτῆς, id est, ex cohorte: cohors enim plures habebat centurias & centuriones, è quibus vnus fuit Cornelius. Cohors enim primitus erat decima pars legionis, constans quinquaginta manipulis, manipulus autè 24. militibus: quare cohors constabat 1250. militibus: legio 12. millibus & quingentis. vt patet ex Cæsare lib. 6. de Bello ciuili, Velleio lib. 2. & aliis. Iam cohors vulgò à Gallis vocatur regimentum, & qui ei præest dicitur Tribunus, sive Chiliarcha. Verum postea vti legionis ita & cohortis numerus imminutus est, idque variè pro varietate temporum & locorum. Legio tandem redacta est ad sex millia & sexcentos.

A ITALICA] ab Italis militibus quibus constabat. Opinatur Baron. hanc cohortem ordine fuisse sextam, & cognominatam Ferratam: hanc enim ab Augusto collocatam fuisse in Iudæa scribit Dio.

RELIGIOSVS AC TIMENS DEVM] Vatabl. pius & religiosus erga Deum. Est hic problema: An Cornelius antequam accerferet Petram fuerit iustificatus, necne? Negat S. Chrysof. Oecum. & Stapletonus hic, & S. Basil. in regulis breuior. reg. 224. Fauet S. August. lib. de Prædest. sanct. c. 7. Hinc sententiæ fauent ea quæ dicuntur v. 5. 43. 44. & cap. seq. v. 14.

VERS. 2.  
An Corne-  
lius iam  
fuerit in-  
stus?

Longè verius affirmant S. Gregor. homil. 9. & 19. in Ezech. Beda, Dionysius & Lorinus hic, Magister in 3. dist. 25. ibique Albertus, Bonauent. & S. Thom. ibidem, ac 3. p. q. 69. a. 4. ad 2.

Resp. affir-  
matiuè.

B Ruardus Tapper. art. 7. Alfonso à Castro verbo Baptismus, hæresi 10 Gregor. de Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 2. puncto 4. Fauet S. Hieron. in c. 5. epist. ad Galat. Probatur Primò, quia Cornelius hic vocatur religiosus ac timens Deum:

Probatur  
Primò.

ergo non tantum erat iustus, sed & pius ac religiosus. Secundò, quia v. 4. dicuntur opera & eleemosynæ eius ascendisse in memoriam in conspectu Dei. Tertio, quia id disertè videtur asserere S. Petrus v. 34. dicens: In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente qui timet eum, & operatur iustitiam, acceptus est illi: loquitur autem de Cornelio. Ergo Cornelius acceptus & gratus erat Deo: ergo erat iustus. Nullus enim est gratus Deo, nisi iustus. Primus enim effectus gratiæ iustificantis est, facere hominem gratum & acceptum Deo.

Secundò.

Deinde, qui operatur iustitiam est iustus: Cornelius autem, teste S. Petro, operabatur iustitiam; ergo erat iustus. Quarto, quia v. 22. de eo dicitur: Cornelius vir iustus & timens Deum, & testimonium habens ab vniuersa gente Iudæorum, responsum accepit ab angelo sancto, accersire te. Denique v. 2. de eo dicitur: Faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper. Hæc autem duo consistere nequeunt cum peccato, sed præsupponunt gratiam sanctificantem. Quare Cornelius ante aduentum S. Petri, à Iudæis quibuscumque Cæsareæ versabatur, didicit hausitque fidem explicitam vniuersi Dei, & implicitam Christi mediatoris, coluitque verum Deum; sicut & Iob eiusque amici: non enim soli Iudæi ante Christum, sed & nonnulli Gentiles coluerunt verum Deum; qui seruantes legem naturæ & charitatis, iustificati sunt, indeque eleemosynas aliaque pia opera præstiterunt. Hæc autem facere non potuerunt per vires solius naturæ, vt censebant Pelagiani, sed ad hoc egebant gratia Dei excitante & cooperante, vti rectè docet S. Prosper libr. de Libertate arbitrij.

Tertio.

Quarto.

D Dices: Si erat iustus, quid opus erat ad eum mittere S. Petrum? Resp. Opus erat ad hoc, vt per eum disceret explicitam fidem Christi, omniumque eius mysteriorum: nam implicita fides non sufficiebat. Iam enim facta erat promulgatio nouæ legis, & fidei explicitæ de Christo mediatore in Pætecoste Hierosolymis, illaque sensum serpebat ad alias vicinas vrbes, ita vt de illa

Cur ergo  
missus est  
ad eum  
S. Petrus?  
Respondet.

illa inaudierit Cornelius, vt patet v. 22. Quare eius obligatio incipiebat vbique induci, & consequenter obligare Cornelium, qui haecenus laborabat eius ignorantia inuincibili: sed illa iam incipiebat fieri vincibilis, ideoque culpabilis; qui si illam depellere, & obligationi iam dictae satisfacere neglexisset, peccasset, & amississet iustitiam. Vnde vt eam non amittat, sed retineat & augeat, iubetur ab angelo accersere Petrum, qui explicitè eum doceat illa, quae de Christo scire & credere necessarium erat, non tantum ad acquirendam, vel augendam, sed ad retinendam iustitiam: necessarium inquam, non tantum necessitate praecepti, vt vult And. Vega lib. 6. in Conc. Trident. c. 20. & Dom. Soto lib. 2. de Natura & gratia c. 11. & 12. sed etiam necessitate medij. Nam post sufficientem Euangelij promulgationem, nemo potest iustificari & saluari, nisi per explicitam fidem Christi mediatoris, vt habet verior & communior Theologorum sententia. Perperam enim Melchior Canus, & ex eo Dominic. Bañez 2. 2. q. 2. art. 8. separant salutem à iustitia, dicuntque Cornelium, & similes sine fide explicita Christi potuisse iustificari, sed non saluari. Salus enim indiuiduè adhæret iustitiæ: iustitia enim & gratia est semen gloriae, vt quicumque moritur in gratia, certus sit de salute & gloria aeterna. Hoc est quod ait S. Gregor. loco citato, Cornelium per bona opera meruisse fidem, scilicet explicitam de Christo; & simul per fidem, scilicet implicitam, venisse ad bona opera. Rursum per fidem venisse ad bona opera, sed per opera esse solidatum in fide. Porro baptizauit Cornelium Petrus, vt eum christianismo initiaret, gratiamque acceptam augetet & confirmaret: iam enim baptismus incipiebat eum, omnesque alios obligare. Non ergo baptizatus est, vt remissionem peccatorum acciperet, quam antè iam acceperat, nisi fortè venialium, si quae irremissa habebat, vt & poenarum peccatis mortalibus praecedentibus debitarum, si quae adhuc remittendae restabant. Adde, culpam peccatorum mortalium ei remissam fuisse per contritionem, quae includebat votum implicitum baptismi: vnde debebat baptizari, vt hoc voto se exolueret; illius enim intuitu remissa eierant peccata.

Dices Secundò: Ad verba S. Petri v. 44. descendit in eam Spiritus sanctus: ergo antè non descenderat. Resp. Tunc visibiliter descendit, qui prius in eum inuisibiliter descenderat; contulitque ei augmentum gratiae, & insuper gratias gratis datas, vt donum linguarum, &c. de quo v. 44. Minus rectè ergo aliqui eum tunc primò iustificatum censent. Argumenta aduersariorum perita ex versibus citatis, in illorum explicatione dissoluentur.

DEPRECANS DEVM SEMPER] quantum scilicet per negotia domestica & militaria licebat. semper ergo id est frequenter, assiduè. Nota hic quatuor virtutes Cornelij, cuius Christiano, praesertim Superiori imitandas, si suae vocationi atque officio satisfacere velit. Prima est religio: fuit enim ipse vir religiosus erga Deum. Secunda est timor Dei. Tertia est misericordia & eleemosyna: qui enim in proximum miseri-

cors est, vicissim Deum in se misericordem experietur, iuxta illud promissum Christi: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, Matth. 5. Vnde Nazianz. orat. de cura pauperum: *Esto, inquit, calamitose Deus, vt vicissim Deus in tua calamitate sit tibi Deus*. Ita Cornelius per eleemosynas meruit vilitari ab angelo, & à S. Petro, ab eoque percipere fidem Christi, vt ait ei angelus v. 4. Quarta est oratio frequens: haec enim est quasi fistula, è caelo eliciens omnem gratiarum imbrem.

Tropol. S. Hieron. epist. 9. ad Saluinam, haec omnia applicat Nebridio, eius marito iam defuncto, qui fuerat Imperatorum nepos, natus ex sorore Augustae. *Quidquid, inquit, de illo (Cornelio) dicitur hoc nomine commutato, in Nebridio meo vindico. Sic religiosus fuit, & amator pudicitiae, vt virgo sortiretur uxorem: sic timens Deum cum omni domo sua, vt oblitus dignitatis omne consortium cum monachis haberet & clericis, tantasque eleemosynas faceret in populis, vt fores eius pauperum ac debilium obsiderent examina: certè sic semper orans Deum, vt illi, quod optimum esset, eueniret. Raptus est, ne malitia mutaret mentem eius; quia placita erat anima illius Deo. Et mox: Nihil nocuit militanti paludamentum, & baltheus, & apparitorum caterua: quia sub habitu alterius alteri militabat. Legimus & in Euangelio Matth. 8. de alio Centurione Domini testimonium: *Nec in Israel tantam fidem inueni. Ioseph post Pharaonem regis ornatus insignibus, sic Deo charus fuit, vt super omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret. Daniel & tres pueri sic procerant Babylonis opibus, vt habitu Nabuchodonosor, Deo mente seruirent. Mardocheus & Esther inter purpuram, sericum & gemmas, superbiam humiliatae vicerunt; tantique suere meriti, vt captiui victoribus imperarent. Et inferius: Mirum dictum est: nutritus in palatio, contubernalis & condiscipulus Augustorum, quorum mense ministrat orbis, & terra ac maria seruiunt, inter rerum omnium abundantiam, in primo aetatis flore tanta verecundia fuit, vt virginalem pudorem vinceret, & ne leuem quidem obsceni rumoris de se fabulam daret. Deinde purpuratorum propinquus, socius, consobrinius, iisdem cum ambobus studiis eruditus, non est inflatus superbia; sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat vt fratres, venerabatur vt dominos. Ministros autem eorum sic sibi charitate sociarat, vt qui merito inferioreserant, officiis se pares arbitrarentur. Notent haec principes, aulici, duces, milites, notent & imitentur.**

ET VIDIT IN VISU MANIFESTE] Fuit ergo VERS. 3. haec visio corporalis & ocularis: haec enim sola est manifesta. Adde, factam esse non noctu, sed per diem hora nona in vigilia, cum oraret Cornelius: ergo fuit corporalis: nam quando per visionem dumtaxat imaginariam quid videtur, solet id fieri noctu. Angelus ergo in corpore assumpto apparuit Cornelio. Causae fuerunt quatuor. Prima, ne Cornelius, aut eius domestici putarent fuisse illusionem nocturnam. Secunda, ne Iudaei putantes ad se solos pertinere Messiam, fidem & Euangelium, obicerent S. Petro, surreptitiam fuisse visionem, & vocationem Cornelij ad fidem, vt hac de re exposularunt cum eo c. 11. 3. Tertiò, vt Gentiles & Cornelio scirent

Angelus  
corporali-  
ter visus  
Cornelio  
quatuor de  
causis.

scirent certò & manifestè, sibi apertum esse ostium Euangelij. Quartò, quia Gentibus manifestè reuelandus erat Christus, Christi que fides; Iudæi verò excæcandi erant, & ad suæ legis umbras relegandi.

QVASI HORA DIEI NONA] quæ incipit à tertia pomeridiana, & protenditur vsque ad vespèram. Vnde hora nona, erat hora orationis vespertina; sicut prima erat matutina, vti dixi c. 3. v. 1. Videtur ergo Cornelius more Iudæorum, inter quos agebat, vtrumque orandi tempus obleruasse; cumque vespertinam horæ nonæ orationem obiret, apparuit ei angelus. Orantibus enim se interferunt, astant & apparent angeli, quorum opus & delicia est oratio, ita Cassian. lib. 3. de Instit. Renun. c. 3. Et S. Chrysost. qui & causam dat, cur potius vespertina hora apparuerit angelus, quàm matutina. *Quia postrema hora hæc erat, inquit, quando curæ dimittuntur, & vacatur precibus atque compunctiōni.* Cor enim curarum expers & compunctiōne saucium; capax est illustrationum rerumque cælestium, optimeque ad eas dispositum.

Mythicam causam dat Beda: *Quoniam, inquit, in morte illius (Christi) baptizandus erat, qui spiritum tradidit hora nona.* Hinc Alcuinus lib. de Diuinis offic. cap. de Sabbato sancto, docet catechumenos baptizari hora nona: quia ea hora ad primum è Gentibus catechumenum, putà ad Cornelium, venit angelus iubens vocari Petrum, qui eum baptizaret.

Tropol. S. Chrysost. *Cornelius, inquit, vitæ religiose sibi tempora constituit: non enim est vir pius, qui sibi statim orandi, & bonis operibus vacandi tempora non præfigit.* Et S. Hieron. epist. ad Saluinam viduam, hoc ei dat monitum: *Semper in manibus tuis sit diuina lectio, & tam crebra orationes, vt omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, huiusmodi clypeo repellantur.* Inter Apophthegmata S. Thomæ Aquinatis primariū hoc recensetur: *Religiosus non est, qui non semper versatur cum Deo, aut cogitat de Deo.* Quocirca ipse ita assiduus erat in oratione, vt omnem suam scientiam illi potius, quàm studio, cui tamen sedulò vacabat, attribueret, diceretque scientiam suam magis esse cælitus infusam, quàm humanitùs acquisitam. Rursum, *Anima, inquebat S. Thomas, sine oratione non proficit Religiosus sine oratione, est velut miles nudus, qui pugnat sine armis;* ideoque inermis facilè ab hoste vincitur.

ANGELVM DEI] Lyran. & Dionys. probabiliter opinantur, angelum hunc fuisse Custodem Cornelij. Angeli enim Custodis officium est curare sui clientis catechesin, baptismum & salutem. Quare falsum est quod censuit Origenes hom. 6. in Matth. angelum Custodem incipere custodire clientem suum à tempore baptismi. Nam & infideles non baptizati habent Custodem angelum, qui eos à peccatis auocet, & ad virtutes, præsertim fidem & baptismum, deducat, vti habet communis Theologorū sententia.

VERS. 4. TIMORE CORREPTVS] Angeli enim maiestas & gloria videntem percellit, vti dixi c. 7. 32.

QVID EST, DOMINE? Jira Roman. Græcus & Syrus. q. d. Quid à me poscis Domine? quid me vis facere? Aliqui codices Latini legunt: *Quis es*

A Domine? vti dicebat Saulus c. 9. 5. Sed priorem lectionem esse genuinam, patet ex responsione angeli. Ait enim: *Orationes tuæ & eleemosyna tuæ ascenderunt in memoriam, græcè, εἰς μνήμην σου, vt scilicet quasi memoriale à te submissum ad Deum, seruentur, & semper obuerfentur conspectui Dei.* Vatabl. *recordatus est Dominus orationum & eleemosynarum tuarum,* ideoque eas digno præmio remunerari volens, mittit me ad te, vt ostendam tibi viam ad fidem & salutem. Tertull. lib. de Ieiunio c. 8. addit *& ieiunia:* eleemosyna enim & ieiunium sunt quasi duæ alæ, quibus oratio euhitur & euolat in cælum ad Deum. Credibile enim est Cornelium miscuisse orationi & eleemosynis ieiuniū. A Iudæis enim didicerat illud angeli consilium datum Tobie c. 12. 8. *Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesauros auri recondere: quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam & vitæ æternam.*

B Nota. *Ascenderunt* alludit ad ritum sacrificiorum, præsertim holocausti, quod totum per ignem & fumum ascendebat ad Deum, indeque dictum est *ἀνέβη*, id est ascensio. Orationes enim sunt instar holocausti: inde enim vocatur vituli labiorū, sacrificiū laudis, &c.

ET NVNC MITTE] Non dicit, *Vade tu ad Petrum:* quia volebat cum eo totam eius familiam catechizari & baptizari. hæc autem tota domo abire non poterat, ita Hugo. Rursum angelus per se hæc non præstat, quia homines à Deo ordinati sunt ministri verbi Dei & baptismi, non angeli. Sic Saulus ab Anania baptizatus est, Eunuchus Candaces à Philippo. Porò voluit Deus accersiri Petrum, non Iohannē, vel quem alium, quia decebat, vt Petrus quasi caput Ecclesiæ, sicut primus omnium post Christū prædicauerat Iudæis, Act. 2. & 3. ita primus prædicaret & Gentibus putà Cornelio eiusque familiæ. Ipse enim quasi totius Ecclesiæ Pastor, debebat in eam quasi in vnum ouile Christi, congregare tam Gentes quàm Iudæos, vt vtrique eum quasi communem patrem agnoscerent, colerent, obdicerent & sequerentur; in eoque vtrique, licet inter se diuersi, imò aduersi, vnirentur.

MISIT ILLOS IN IOPPEN] perquirere & accersere Petrum, non imperando, sed rogando, vt dignaretur venire ad domum Cornelij.

ASCENDIT PETRVS IN SUPERIORA] *ἰεὶ δῶμα,* id est, in tectum domus: tecta enim in Palæstina sunt plana, vt in iis ambulare, sedere, orare possint, quæ græcè domata. Romæ solaria, vel mœniana appellantur, ait S. Hieron. epist. 135. ad Suniam. Ascendit ergo & sece sit, vt liberiùs cælum intueretur, eoque à terra oculos & mentem oraturus attolleret. Oratio enim est ascensus mentis ad Deum, quem iuuat ascensus corporis. Hinc Christus, Moses, Elias, Elifæus, S. Franciscus, aliique Sancti oraturi ascendebant in montes, vt sicut loco, sic & cogitatione cælo vicini efficerentur, ait S. Ambros. serm. 11.

CIRCA HORAM SEX TAM] Nota hic horam sextam orationis: quia ea vti homo creatus est, & peccauit, ita & recreatus est à Christo cruci affixo: & quia ea hora solet sumi prandium, cui exemplo

VERS. 5.

VERS. 8.

VERS. 9.

Sancti orant in locis excelsis cur?

exemplo Petri & Ecclesie præmittenda est oratio. Vide dicta 1. Timoth. 4. v. 3. & 4.

**VERS. IO.** ET CUM ESURIRET] cibum corporalem: huius enim fames solet obuenire aduentante tempore prandij. Quare quod S. Ambros. serm. 10. Beda & alij accipiunt de esurie spiritali animarum, eò quòd videret paucos Iudæos conuerti ad Christum, mysticum est, non literale, vt patet ex sequentibus.

**VOLVIT GUSTARE]** Vox *gustare* notat sobrietatem S. Petri, quasi cibo non se opplere, sed cum dumtaxat pro necessitate degustare, & summis, vt dicitur, labris delibare voluerit. Rursum, quòd in hac vita sit tantum gustus & delibatio voluptatis, in futura verò saties, iuxta illud psalm. 16. 15. *Satiabor cum apparuerit gloria tua* Quocirca vir sapiens dixit, cor nostrum esse pyramidale, ita situm in homine, vt eius basis sursum, conus deorsum vergat, ad significandum, quòd terrâ & terrena quæ deorsum sunt, tantum obiter & leuissimè, quasi in puncto dumtaxat tangere & gustare, totum verò cordis mentisque sinum & capacitatem sursum ad caelestia erigere & expandere debeamus. Vnde mysticè S. Hieron. ad Rusticum epist. 4. *Petrus, ait, esuriens in Iudæis, Cornelij saturatur fide; & famem incredulitatis eorum, gentium conuersione restinguit; atque in vase Euangeliorum quadrangulo, quòd de celo descendit ad terram, docetur & discit omnes homines posse saluari: rursum quòd viderat, in specie candidissimi linteaminis in superna transferretur, & credentium turbam ad celum rapit, vt pollicitatio Domini compleatur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

**CECIDIT SUPER EVM MENTIS EXCESSVS]** q. d. Raptus est in exstasi. Vox *cecidit*, significat hanc exstasi non fuisse naturalem, qualis est ea quæ ex vehementi ira, pauore, amore, studio & contemplatione nascitur, sed diuinam, nimirum cælitus S. Petro immittam fuisse hanc visionem & raptum. Vide quæ de exstasi dixi præfatione in Minores Prophetas canone 19.

**VERS. II.** ET VIDIT CÆLVM APERTVM] *Vidit*, scilicet in mentis excessu, de quo præcessit. Vnde sequitur, hanc visionem non fuisse oculorum, sed imaginationis & mentis.

Symbolicè, significatur hic Primò, arcanum mysterium in cælis & Dei prædestinatione reconditum, de Gentium vocatione ad Christum, iam toti mundo referandum & patefaciendum esse, ait Beda. Secundò, Petro quasi cæli clauigero, datas esse clauas ad aperiendum & claudendum cælos, Matth. 16. 19.

**ET DESCENDENS VAS QVODDAM]** *Vas*, id est receptaculum, non æneum, nec ferreum, nec ligneum, sed lineum. Vnde sequitur, *Velut linteum magnum*. Erat ergo hoc linteum siue linteamen, velut vter lineus, continens omnis generis escas, infernè concauus & clausus, supernè apertus, qui quatuor sui angulis è celo demittebatur ad Petrum, eique esurienti omnes has escas ad manducandum offerebat.

Quæres, quid ad literam significat hoc vas, siue linteum? Resp. Primò, Glossa Interlin. significare corpus Christi, quòd est vt linteum, quoniam sine semine conceptum, candorem casti-

tatis custodit; & quia mortuum: magnum verò, propter deitatis confortium, & quia resurrexit. ita & Cassian. lib. 3. de Instit. Renun. c. 3.

Secundò, melius alij accipiunt Dei sermonem, & prædicationem Euangelij, in qua molliter quiescunt peccatorum animæ in cælestis gratiæ illapsu, & supernæ gloriæ spe. ita S. Ephrem serm. de S. Basil. to. 3. & S. Gregor. l. 33. Moral. c. 16. vel 20.

Tertiò & aptissimè, S. August. serm. 26. de diuersis, S. Ambros. serm. 10. Cyrillus, vel potius Origenes homil. 7. in Leuit. S. Hieron. in epist. 89. ad S. August. Greg. loco iam citato, Beda & alij accipiunt Ecclesiam Christi. Hæc enim est quasi vas lineum, id est purum, propter incorruptibilem veritatem & fidem: quia purissima & sanctissima est tum in fide, tum in vita & moribus, non habens maculam, neque rugam. Ephel. 5. 27. Hæc de cælo demittitur, quia ipsa est ciuitas sancta, Ierusalem noua descendens de cælo à Deo, Apocal. 21. 2. Quatuor anguli sunt quatuor Euangelia, quibus per quatuor plagas mundi, & quatuor partes terræ disseminatur Ecclesia. Hoc vas ter è cælo demittitur, quia fide & Sacramento SS. Trinitatis fideles innouantur, & in Ecclesiam admittuntur. In eo sunt immundæ & feræ bestiæ, id est, quæuis gentes, quæ prius erant turpibus & ferinis moribus, atque à legali Iudæorum munditie alienæ. Audi S. Gregor. *Quid, ait, signatur linteum sindonis, nisi subtilis intextio sanctæ prædicationis, in qua molliter quiescitur, quia mens in illa fidelium superna spe refouetur.*

**Tropol.** per vas hoc multi accipiunt statum Religionis, qui constat lino, id est, maceratione carnis & mortificatione appetituum. Linum enim variè maceratur & carminatur, vt fiat linteum: quatuor initia sunt quatuor regulæ quatuor præscorum Ordinum, putà regula S. Basilij, S. Augustini, S. Benedicti & S. Francisci: in eo sunt animalia immunda, id est peccatores, qui vt peccata in sæculo admissa expient. pœnitentiæ causa se mancipant Religioni. ita Glossa. Porro quomodo lineum & linteum sit symbolum puritatis, pœnitentiæ, patientiæ, fortitudinis, religionis, &c. dixi Exodi 28. 39. & Ieremiæ 13. 1. Simile est hoc vas lineum vasi intemerato, de quo noster Causinus Parabol. Hist. lib. 12. cap. 71. ex Pausania. Tradit enim Pausanias in Arcadia esse Stygem fluuium, cuius aqua adeò acris & potens est, vt omnia vasa siue ærea, siue ferrea, siue lapidea dirumpat, excepto vase quòd fit ex vngula equi, quòd proinde vas intemeratum dicitur, estque hieroglyphicum B. Virginis, quæ nullo peccato, vel originali, vel actuali (cuius symbolum est Styx) infici aut lædi potuit. Simili modo Religio est vas intemeratum, quia omnia peccata & peccatorum occasiones amouet & excludit, quantum fragilitas humana patitur.

**Symbol. Oecum.** Vas, inquit, linteum denotat totum orbem, qui ad Christum vocatur: quatuor initia sunt quatuor elementa, quibus hic inferior mundus constat & propagatur: animalia varia sunt varij hominum status. Consequenter vas linteum est homo, qui est microcosmus

*Vas est Ecclesia Christi.*

*Tropol. vas est Religionis status.*

*Symbol. est mundus & homo.*

cosmus constans quatuor elementis: quare cogit se, uti ex ijs conflatus est, ita breui in ea resoluendum, & per mortem rediturum. Quocirca Antistites in Æthiopia, cum cruce sibi præferri curant vas cinerum, quod eos iugiter memores reddat suæ mortalitatis, taciteque eis in-clamet: *Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.* ita Nicolaus Caulinus lib. 5. Parall. Histor. c. 4. ex Sabellico lib. 4. c. 4.

QUATVOR IN TIIS] Syrus & Vatabl. quatuor angulis; Tigurina, quatuor extremitatibus. Græcè additur *ἑδραίων*, id est, *alligatū*. cum enim lin-teamen hoc esset quadratū, nec esset expansum instar straguli, sed instar vasis, vel vtris constri-ctum ad capienda animalia, necessariò debebat in quatuor sui extremitatibus constringi & colligari, ne animalia diffuerent, vel dilaberentur. Hi quatuor anguli significant quatuor Eu-angelia, spargenda per quatuor orbis plagas, uti iam dixi.

VERS. 12.

IN QVO ERANT OMNIA QVADRV PEDIA] Id est, omne genus quadrupedum, ita Syrus. Est enim hic distributio pro generibus singulorum, non autem pro singulis generum: nec enim omnia indiuidua omnium animalium capi poterant vnico vase & linteo. Græcè additur *ἡγοῖα*, id est, *fera*. S. Hieron. in c. 38. Ezech. & Origen. hom. 2. in c. 2. Genes. censent, in hoc linteo fuisse animalia tam munda, quàm immunda, sicut fu-erunt in arca Noë: munda significabāt Iudæos, immunda Gentes: ex vtrisque enim vna conflatur Ecclesia. Probabilius censet Iustinus quæst. 89. ad Orthod. in hoc linteo fuisse sola anima-lia immunda: nam si munda fuissent, Petrus nō exhorruisset; sed ea accepisset relictis immun-dis. Iam autem videns omnia immunda exhor-refcens dixit: *Numquam manducaui omne com-mune & immundum.* Significabant enim Gen-tes immundas. Vnde volatilia denotant super-bos & ambitiosos; serpentina inuidos & iracun-dos; quadrupedia auaros, gulosos & lubricos: hi enim oculos mentemque in terram & terrena proiec-tam gerunt. ita Lyran. Sic ferè & S. Bas-il. in c. 14. Isaïæ, nisi quodd per volatilia intelli-gat leues & instabiles. Erant tamen in hoc vase munda nonnulla, sed perpauca & sub immun-dis abscondita: nam munda significabant Iu-dæos cum immundis, id est Gentibus, capien-dos esse Ecclesia Christi.

VERS. 13.

ET FACTA EST VOX] non realis & sonora, sed imaginaria vel mentalis; talis enim solet fieri in exstasi.

OCCIDE] *ἕσθον* verti potest Primò, *occide*; Sec-undò, *sacrifica* vel *immola*. ita Beda. olim enim manducabant, etiam laici, ex victima occisa & immolata Deo. Vnde appositè S. Ambros. serm. 10. In Ecclesia, ait, *primum Deo animal ex Genti-bus. Centurio Cornelius est immolatus.* Hæc occisio & immolatio significabat, in Gentibus occiden-dam esse infidelitatem & vitia, ut in eis viueret Christus, fides & virtus. Vnde S. Hieron. vel quisquis est Auctor, in Threnor. c. 3. censet. Petro quasi capiti Ecclesiæ dictum esse de Genti-bus: *Macla & manduca, id est, verustatem earū con-tere, & in corpus Ecclesiæ ac tuā membra conuerte.* Comparat Petrum leoni, qui quasi rex anima-

Cornel. in Acta Apostol.

lium ea maclat & comedit; ac leonæ, id est, Ec-clesiæ eā transcribit. Vnde S. Gregor. 18. Moral. c. 20. vel 22. *Ipsi, ait, primo Pastori (Petro) quasi huius leonæ ori dicitur: Macla & manduca. Quod maclatur quippe, à vita occiditur: id verò quod com-editur, in comedentis corpore commutatur. Macla ergo & manduca dicitur, id est, à peccato eos qui vi-uunt interfice, & à seipsis illos in tuā membra con-uerte, putā in nouam vitam societatis Ecclesiæ, ut ait S. August. serm. 26. de Diuersis c. 7.*

S. Petrus quasi leo comedit Gentes.

Hinc patet minùs esse verisimile quod cen-sent aliqui, animalia hæc in linteo visa fuisse, nō integra & solida, sed in ipso linteo quasi in char-ta depicta, vel impressa. Probant id ex S. Cyril-lo lib. 9. contra Iulian. vbi docet animalia hæc in linteo non fuisse vera, sed effigiata & expicta. Verùm S. Cyril. tantum vult dicere eā non fuisse realia & viua, sed instar statuarum fuisse ex-sculpta & effigiata, ita ut effigiem verorū & vi-uorum haberent. De his enim, non autē de im-pressis pictis que in ipso linteo, aptè recteque in visione Petro dicitur: *Occide & manduca.*

Tropol. Prælati & prædicator cogitet se debere esse leonem, fortem ac magnanimum in iugulandis erroribus, prauis moribus & amori-bus, sibi que æquè ac S. Petro, dictum esse: *Occi-de & manduca.* ita S. Gregor. 30. Moral. c. 7. vel 11. Quocirca leonino & calidissimo debet esse stomacho, ut instar struthionis ferrum digerat, quin & serpentes aliaque venenata animalia in bonum Ecclesiæ succum conuertat. Medici tri-plicem statuunt stomachum. Primum debilem & infirmum, qui escas boni succi in malum, pu-tā in bilem aut phlegma, conuertit. Secundum bonum, qui cibos boni succi in bonam alimon-iam conuertit. Tertium optimum, qui vi calori-s res mali succi in bonum commutat. Ita sym-bolicè, debili charitate sunt & virtute, qui volē-tes sæculares conuerture, ab eis peruertuntur, moresque eorum induunt. Secundò, alij sunt, qui bonos in bonitate conseruant. Tertio, opti-mi sunt, qui vi charitatis malos, serpentinos, imò faxcos homines in bonos, ouinos & cereos con-uertunt. Talis fuit Christus, qui Magdalenam & Saulum conuertit. Talis Paulus cæteri que Apostoli. Talis ergo fit vir Apostolicus, anima-rum & Dei gloriæ zelator.

Tropol. Præ-latus fit leonino sto-macho.

AIT AVTEM PETRVS: ABSIT, DOMINE; QVIA NVMQVAM MANDUCAVI OMNE COMMUNE ET IMMUNDVM] *Commune*, id est, impurum & profa-num, ut legit S. Cyril. lib. 9. contra Iulian. quod scilicet communiter comedi poterat à quibuslibet Gentilibus & immundis. Iudæi enim ne Gentes offenderent, cibos eorum, lege Mosis vetitos & immundos, non vocabant immundos, sed *communes*. Hinc *communicare*, siue *commune facere*, est inquinare, vel immundum reddere; ut Matth. 15. 11. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*, græcè *κοινωῖ*, id est *communicat*. Dicit hoc Petrus, quia adhuc cum fidelibus, utpote Iudæo-Christianis, seruabat legem Mosis, & differentiam ciborum mundorum & immun-dorum, eā præscriptam Leuit. 11. cuius differē-tiæ rationes & causas ibidem assignaui. Nota hebraismum, *non omne*, id est, nullum: non man-ducaui omne cōmune, id est, nullum commune.

VERS. 14.

S QVOD

VERS. 15.  
Commune, id est,  
pollutum.

QVOD DEVS PURIFICAVIT, TV COMMUNE (id est profanum, pollutum & immundum) NE DIXERIS] q. d. Deus purificavit omnes cibos hoc ipso, quo legem veterem vetantem aliquos cibos quasi legaliter immundos, per novam Christi legem abolevit. Vnde R. Moyses & R. Salomon apud Lyran. Genes. 9. 4. tradunt, tempore Messia nulla animalia fore immunda, ut prius sub Mose, sed omnia fore munda, perinde ac fuerunt tempore Noë, qui proinde tam immunda quam munda induxit in arcam, Genes. 7. 2. 8.

Symbolicè, Irenæus lib. 3. cap. 12. censet omnia purificata esse per sanguinem Christi: quia scilicet sanguis Christi absterfit legem veterem, cum omni sua immunditie. Et S. Ambros. lib. 7. in Lucae c. 10. censet ea purificata per baptismum: per illum enim inferimur Christo, Ecclesie & leginove, in qua omnia sunt munda; sicut tempore diluuij omnia in arca Noë fuerunt munda, etiam ea quæ postea Moses sanxit immunda.

NE DIXERIS] Græcè, μή κοινός, id est, ne commune facias, hoc est, ne cōtamines, ne polluas, id est, ne contaminatum & pollutum dixeris, aut censueris. Est hebraismus: ponitur enim factum pro dicto, vel censura. Sic Leuit. 13. sæpè dicitur de leproso, Contaminabit eum sacerdos, id est, contaminatum eum iudicabit & pronuntiabit.

VERS. 16.  
Ter visio  
repetita.  
Cur?

HOC FACTVM EST PER TER] q. d. Ter in extasi vidit Petrus vas è cælo ad se demitti. Ter audiuit: Occide & manduca. Ter respondit: Nunquam manducaui omne commune & immundum. Ter iterum audiuit: Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. ita S. Cyril. lib. 7. in Leuit. Ternarius Primò, confirmat visionem, ostendit quæ eam esse veram, vereque à Deo immissam, non somniatam, ait Cyril. loco iam citato. Secundò, symbolum est S. Trinitatis, in cuius nomine baptizandæ & regenerandæ erant Gentes. ita S. August. Ambros. & alij supra citati. Vnde in vita huius S. Cornelij, quæ existat apud Surium 13. Septembr. dicitur, per visionem hanc ter repetitam, adumbratam fuisse trinam immersionem Cornelij & cæterorum in baptismo.

ET STATIM RECEPTVM EST VAS IN CÆLVM] vnde primitus demissum erat. Ut significaret, Ecclesiam Christi in quam cooptandæ erant Gentes, è cælis descendere, suosque fideles in cælum ducere & transcribere. ita Lyran. & alij.

VERS. 17.

ECCE VIRI] Deus suavi sua prouidentia ita hæc dirigebat, ut Petro indaganti significationem suæ visionis, ilicò occurrerent viri quos significabat hæc visio, simulque indicavit illi, propter eos hanc visionem illi immissam, eosque repræsentare. Vnde & eorum gressus ita direxit, ut nescientes rectè pergerent ad domum Simonis, in qua erat Petrus: *Ibiq; astiterunt ad ianuam: quia vilis erat domus*, ait S. Chrysof. *intrà rogabant non vicinos*. Notat S. Gregor. hom. 1. in Ezechielem, varios esse prophetiæ modos & species, ac inter eos unum, cum mentè Prophetæ Deus ex parte tangit, & ex parte nontangit, ut hinc mentè Petri tetigit visione lintei, & mittendo ad eum legatos Cornelij: sed quid hæc sibi vellet, ei non indicavit, nisi ipso rei euentu. Spiritus sanctus enim sensim per occasiones & euentus, more humano, voluit docere Petrum & Apo-

stolos. Vult enim Ecclesiã imitari puerum Iesum, qui ætate crescebat & sapientia, ait Hilarius.

ET CVM VOCASSENT] aliquem ex incolis domus. siue ex domesticis: vel *vocasent*, id est pullassent ianuam: qua phrasi vulgò Hispani vtuntur, ait Mariana.

DIXIT SPIRITVS] Putà Spiritus sanctus per internam inspirationem. ita S. Chrysof. S. Cyril. catechesi 17. S. Ambros. lib. 2. de Spiritu sancto cap. 11. & S. Gregor. 28. Moral. c. 2. Aliter Dionysius & Glossa: per Spiritum enim accipiunt angelum vicarium Spiritus sancti, qui exterius sensibili voce dixerit: *Ecce viri tres quarunt te*. Verum sic angelus apparuisset Petro in corpore assumpto, cuius hinc nulla fit mentio, imò contrarium innuitur, cum vocatur *spiritus*. *Spiritus enim carnem & ossa non habet*, Lucae 24. 39. & cum subditur: *Ego misi illos*. Spiritus sanctus enim mittebat illos.

VADE CVM EIS] Iubetur Petrus ab oratione & Deo, transire ad opera vitæ actiue cum proximo, æquè ac Moses Exodi 32. 7. ut doceat idem nos facere, ac cum officium, necessitas vel charitas poscit, à Maria transire ad Martham, id est, à contemplatione ad actionem.

EGO MISI ILLOS] ego moui Cornelium ut mitteret illos.

ECCE EGO SVM QVEM QVÆRITIS] Instinctu Spiritus sancti descendit Petrus, offertque se ignotis antequam eorum quæstionem audisset, ut ipsi sciant eum virum esse diuinum & Prophetam à Deo edoctum, ac proinde ei credant. Insuper mirentur & imitentur eius promptitudinem, humilitatem, beniuolentiam, charitatem ad obsequendum. ita S. Chrysofomus.

ET TESTIMONIUM HABENS AB VNIVERSA GENTE IVDÆORVM] q. d. Omnes Iudæi testantur Cornelium esse virum probum, iustum & timentem Deum, uti præcessit, ideoque eum, licet Gentilem (à quo naturaliter Iudæi abhorere solent) amant & venerantur. Dicunt hoc, ut suæ assertionis, quod sit iustus & timens Deum, proferant testes. Secundò, ut Petri, utpote Iudæi, gratiam Cornelio Gentili concilient. Tertiò, ut Iudæo-Christiani qui cum Petro venerat, alijque qui Hierosolymis erant, audituri Cornelium Gentilem admissum esse ad fidem & Ecclesiam, id non agrè ferant, utpote quæna Iudæi cæteri diligant & colant.

RESPONSVM ACCEPIT] putà oraculum: hoc enim est ἐξηνκατίσθην. Sic sæpè alibi *responsum* capitur pro oraculo.

ET AUDIRE VERBA ABS TE] Verba, scilicet Christi, Euangelij, salutis & vitæ æternæ, uti explicatur cap. sequenti v. 14. Hæc enim antonomasticè & per excellentiam sunt verba. Vnde *verbum* in epist. sancti Pauli sæpè capitur pro Euangelio, eiusque prædicatione; æquè ac Scriptura capitur pro sacra & diuina.

RECEPIT HOSPITIO] ἐξενίον, id est, *hospitio excepit*, lautè habuit, xenijs & muneribus quasi hospites donauit. Nota hinc hospitalitatem insignem S. Petri, quam ipse hospes & peregrinus, in peregrinos aliena in domo exercuit, ac cæteros fideles verbo & exemplo docuit; sed maxime in Romanam Ecclesiam transfudit, in qua proinde

Hospitalitas S. Petri in Romanam transfusa.

proinde etiamnum hospitalia & nosocomia vi-  
suntur tot & tanta, vt vnum hoc vrbs orbisque  
prodigium videatur. Ita olim ibidem familia  
crexerunt Pammachius, gener S. Paulæ, Fabio-  
la & Gallicanus, gener Constantini Magni, qui  
suis manibus peregrinis seruebat, totamque  
vitam & opes hospitibus & hospitalitati conse-  
crauit: qua de causa martyrij lauream sub Iu-  
liano Apostata meruit.

Merito ergo hoc elogium Ecclesiæ Roma-  
næ dat Martinus Papa I. epist. quod quisquis  
miserabilis homo ad eam veniat, illum hospiti-  
o recipiat, omnia ad vsum ei præbeat, nec vllum  
repellat, detque panem mundissimum, & vinum  
diuersum. Eandem hospitalitatis laudem Romanæ  
Ecclesiæ dat Dionysius Corinthi Episcopus, apud  
Euseb. lib. 4. c. 23. Ita sanè hoc anno 1622. B  
quo Italia fame primum, deinde morbis afflicta  
est, Roma non tantum suos indigenas, sed &  
omnes ex cætera Italia, aliisque prouincijs tur-  
matim affluentes hospitiis excepit, aluit, cura-  
uit; cumque vetera xenodochia & nosocomia  
turbam non caperent, noua instituit, Cardina-  
libus, aliisque sumptus liberaliter præstantibus.  
Hæc ergo charitatis & misericordiæ dos, ab in-  
itio à S. Petro Romæ aspirata, etiamnum in ea  
perdurat, estque veræ fidei & virtutis priscae in-  
gens indicium. Plura de hospitalitate dixi Ge-  
nes. 18. 1. & Hebr. 13. v. 2.

ET QUIDAM EX FRATRIBVS ] Vt minimum  
sex, vti habetur c. 11. 12. Quidam codices ad-  
dunt, *Vt Petro testes sint*: sed hæc explicationis  
causa à quopiam ad marginem addita, postea in  
textum irreperunt. ita Glossa.

VERS. 24. ALTERA AVTEM DIE INTROIUIT CÆSAREAM ]  
Hæc enim distat à Ioppe itinere quindecim leu-  
carum, siue horarum, vt patet ex tabulis Adri-  
chomij: quare commodè hoc spatium biduo  
confici potuit à Petro & comitibus, etiam pedi-  
tibus, vt videtur.

Moral. de  
prædicando  
paucis &  
rudibus.  
Primò.

Moral. notent hic concionatores, doctores  
& similes, se non debere spectare copiam &  
nobilitatem auditorum, sed eadem alacritate  
adire & docere paucos ac multos, rusticos ac  
nobiles, barbaros ac ciuiles. Entibi S. Petrus  
Summus Pontifex, non dedignatur adire vnum  
Cornelium Gentilem militem, & hoc nomine  
Iudæis inuisum. Nomine enim Romanorum  
Iudæos sub iugo detinebat. In eius domo co-  
ram eo & paucis è familia, docet & conciona-  
tur. Ratio est multiplex. Primò, quia in paucis  
subinde & rudibus maior fructus fit, quam in  
multis diuitibus. Et Deus humilitatem & chari-  
tatem Doctores remunerari solet, & facere vt è  
paucis fructus in multos spargatur. En tibi per  
Cornelium apertum est ostium Euangelij ad  
Gentes: mox enim cæteri Apostoli secuti exem-  
plum S. Petri, in Gentes se disperferunt, easque  
conuerterunt. Vnius ergo Cornelij conuersio  
fuit initium & causa conuersionis tot millionum  
in Gentibus. Narrant Annales Hispaniæ, S. Iacobum  
sub idem hoc tempus, in ea nouem, vel,  
vt alij referunt, septem dumtaxat conuertisse:  
sed per hosce sparsa est fides, ac sensim tota Hi-  
spania conuersa, quæ deinde per alias prouin-  
cias, Indiasque vtrasque eandem fidem propaga-

Cornel. in Acta Apostol.

uit, & etiamnum propagat, vt merito columna  
& columen Ecclesiæ nuncupari possit. Ita  
Christus vni mulieri Samaritanæ prædicauit,  
sed per eam Samariam conuertit, Ioan. 4.

Secundò, esto nullus, vel paruus concionis  
esset fructus, tamen integram laboris & chari-  
tatis suæ mercedem concionator à Deo reci-  
piet, qui reddet unicuique secundum opera sua,  
non secundum fructum ex operibus secutum.  
hic enim sæpè in manu est Dei, non nostra.  
Qua de causa S. Franciscus, ait S. Bonauent. in  
eius vita, eadem spiritus alacritate concionaba-  
tur paucis ac multis, plebeis ac nobilibus.

Tertiò, ad Dei & Ecclesiæ magnificentiam  
spectat, multos habere doctores & conciona-  
tores, qui Deum celebrent, esto pauci sint au-  
ditores; sicut ad decorem ciuitatis facit, vt in  
ea plures sint fontes semper scaturientes, etiam-  
si pauci ex ijs aquam hauriant. Non cessat fons  
aquam eadem copia emanare, etiam si nemo  
hauriat; & tu eodem spiritu eructa verbu Dei,  
esto pauci audiant. Alioqui per omnem vitam  
inquietus eris & miser, utpote pendulus ab au-  
ditorum phantasia, & mutabilitate.

Quartò, tales iustificat Deum, eiusque cau-  
sam agunt: satagunt enim nomine Dei omnes  
docere, omnesque peccatores conuertere. Qua-  
re si non conuertantur, ipsorum est culpa, &  
inexcusabiles sunt. Deus enim in iudicij die ius-  
tificabit se per hosce doctores, dicitque, Ecce  
ego dedi vobis tot tantosque concionatores:  
feci quidquid potui vt vos à peccatis auellerem.  
At vos tam illos, quam me spreuistis. igitur  
digni estis maledictione & igne æterno. Quare  
solentur se concionatores dum paucos, vel re-  
fractarios habent auditores, exemplo Christi,  
qui tales habuit; & Dei, qui solem facit oriri  
super bonos & malos, pluit super iustos & inius-  
tos, qui tot tantaque bona indies in homines  
effundit, etiam si pauci ad ea aduertant, pro ius-  
que Deo gratias agant. Noli ergo animum dei-  
cere, ne finas tibi ligari linguam, cum auditorum  
minuitur, imò tunc valentius concionare: osten-  
de te Dei gloriam querere, non hominum. Si  
vni Deo placere & satisfacere in animum in-  
ducas, non curabis an multi, an pauci audiant.  
Signum minus rectæ intentionis est, cupere,  
vel querere cathedras honoratas, & frequentes,  
nimirum quod quæras plausum hominum ma-  
gis, quam vni Deo placere. Et hoc vanitas est, à  
qua nos liberet veritas. Verum est illud Gallo-  
rum prouerbium: *Beaucoup de bruit, peu de fruit.*  
Ea quæ plausum habent, parum habent plan-  
ctus & fructus. Videmus in multis Academijs,  
professores Medicinæ & Iuris paucos habere  
auditores, & tamen animosè docere per mul-  
tos annos, imò per totam vitam, hoc nomine,  
quod Academia requirat tales, & quod integra  
semper percipiant stipendia. Idem apud se ita-  
tuat concionator. Plato vno Aristotele disci-  
pulo contentus, cum is in scholis adesset, etiam-  
si cæteri abessent, docebat dicens: *Auditorium  
est.* Nos magnum habemus auditorem Deum,  
quid vltra requirimus? Stratonicus musicus  
cum in ludo suo haberet pietas Musas nouem,  
Apollinem vnum, discipulos autem tantum ha-

Secundò.  
Tertiò.  
Quartò.

Auditor  
noster est  
Deus.

beret duos, rogatus à quodam quot haberet discipulos? Cum dijs, inquit, duodecim. ita Athenæus, & ex eo Bruson. lib. 5. c. 2. Tu si sex habeas, cogita te totidem auditores habere angelos, eorum custodes.

Quintò.

Quintò, Deus non tam considerat quatum, quam ex quanto faciamus, putà ex quanta humilitate, charitate & zelo: ex ijs enim opus suam vim, valorem & meritum fortitur. Qua in re errant plerique: putant enim meritum consistere in magnitudine operum, cum in eo non consistat, sed in magnitudine charitatis. Fac opus paruum magna charitate, plus mereberis quam is, qui facit opus magnum ex parua charitate. Radix enim, norma & mensura meriti est charitas. Hæc magis puriusque exercetur coram paucis, quam multis; coram plebeijs & rusticis, quam diuitibus & nobilibus, vbi sæpè se miscet carnalitas & cupiditas, cum in illis sit mera puraque charitas.

Appositum exemplum Mathematici.

Sicut Mathematicus considerat lineam in se, & abstrahit ab eo quod sit aurea, vel ærea, nec libentiùs auream quam æream speculatur: ita sanctus doctor, & prædicator vnum Deum spectat, illi soli placere intendit, illius voluntatem explere satagit, nec curat an id fiat in officijs & pulpitis splendidis, vel vulgaribus; an coram multis, vel paucis. Denique S. Monica vnum discipulum habuit, filiū S. Augustinum, quot quantosque pro eo vno formando labores & dolores subiit? At per vnum Augustinum quot quantosque docuit, & etiamnum docet & conuertit? Anachoretæ plerique vnū alterumve dumtaxat habebant discipulum, in eo poliendo & perficiendo totam vitam infumebat, vt eum suæ vitæ & doctrinæ, æquè ac cellæ, relinquerent heredem. At vnus ille alterve in virum perfectum euadebat, eratque instar mille, qui proinde multos alios ad vitam religiosam & perfectam instituebat, vti videre est in vitis Patrum.

NECESSARIIS AMICIS] q. d. Amicis non omnibus, sed magis intimis, putà necessitudine & propinquitate coniunctis.

VERS. 25.

ADORAVIT] Non latria, sed adoratione ciuili & religiosa, sicut Abraham adorauit filios Heth, Genes. 23. 7. & Alexander Magnus Iadum pontificem Iudæorum, teste Iosepho lib. II. Antiq. cap. 8. & sicut modò exemplo Cornelij fideles adorant Pontificem, eumque genuflexi osculo pedis venerantur; quod notent heretici. Addit vir doctus, Cornelium propriè adorasse Petrum: putasse enim in Petro esse quid numinis, eumque esse quid super hominem, imò super angelos, vt pote ad quem ab angelo missus esset, auditurus ab eo verba salutis, & maiora quam ab angelo audisset. Vnde & S. Hieron. lib. contra Vigilantium ait, Cornelium eo errore laborasse quo Lycaonij, qui Paulū esse Mercurium opinabantur, Barnabam verò Iouem, Act. 14. 11. Sic enim Gentiles, præsertim Platonici, heroës censebant esse deos quosdā inferiores, terrestres, & medios inter Deum & homines cæteros. Verum hoc de Cornelio vnum Deum cognoscente & colente, imò religioso, iusto & sancto, parum videtur credibile, præ-

Cornelius adorat Petrum. Quo modo?

A fertim cum ipse hæc omnia faceret Deo astante, ducente, gubernante. Sciebat enim vnum esse Deum, non plures, vt rectè auertit Salmeron hic, & Suarez 3. p. tom. 1. disp. 53. sect. 1. & Valquez lib. 1. de Adorat. c. 3. num. 161.

Dices, Cur ergo Petrus hanc adorationem recusat, causam allegans dicensque: Surge, & ego ipse homo sum. Resp. Id facit humilitatis & modestiæ studio, ad exemplum fidelium, præsertim quia apud Iudæos vnum Deum adorantes, inusitata & suspecta erat hominis quælibet adoratio: qua de causa Mardochæus noluit adorare, id est, genua flectere coram Aman. Vnde Petro in primis illis tenuibus sui pontificatus initijs, hic honor visus est equo maior & immoderatio, vt ait S. Gregor. 21. Moral. cap. 10. vel 11. Sæsus est ergo, q. d. Surge Cornelie: ego enim homo sum tui similis; ac proinde nolo vt te ante me prosternas. Hæc enim prostratio nobis Iudæis est insolita, nec ferè fieri solet nisi angelo, aut Deo, qualis ego nō sum. Itaque licet tua erga me, id est, Patrem tuū spiritalem, reuerentia & veneratio bona sit & sancta; tamè hoc tempore eā mihi adhiberi nolo; tum vt dem humilitatis exemplū; tum ne Iudæos comites meos, quibus illa nimia, nec homini, sed angelo, vel Deo debita videri potest, offendā: tua enim tā profunda mentis, vultus & corporis ante me demissio, eis videtur numini potiùs, quam homini cōpetere: quare ego hunc honorē, modestiæ & scandali vitandi causa, declino, fateorq; me hominē esse, ac vt hominē comiter & familiariter velle tecū agere. Simili de causa noluit angelus à Iohanne adorari genuflexione, Apoc. 19. 10. vt ibi dixi.

C Tolerabiliùs dici posset, Cornelium putasse Petrum esse angelum incarnatum, & vt talem adorasse, ideoque prohibitum à Petro dicente, *Ego homo sum*. Verum Cornelium sciuisse Petrum esse hominem, non angelum, patet ex dictis, & ex circumstantijs notisque Petri, quas ei indicauit angelus, iubens eum vocari v. 5. & 6. Adorauit ergo eum vt hominē, sed Prophetam & Spiritu Dei plenum: Petrus verò modestè hunc honorem recusauit, de quo vide S. Basilium in Moral. c. 59.

VERS. 28.

ABOMINATVM SIT] Græcum ἀβυστος, id est, illicium (vt habet Biblia Gothica, teste Mariana) iniquum, nefarium, abominabile, deducitur à βέμω, id est, lex, ius, fas, & a priuatiuo. q. d. Contra ius & fas est. Iudæi enim abominabantur & auerfabantur alienigenas, id est Gentes, quasi infideles, impias, exleges, impuras, pollutas; vt vicissim Gentes spernebant Iudæos, quasi viles, singulares, & lege ac religione diuersos & separatos à cæteris populis; eosque per contemptum vocabant verpas, recutitos, apellas.

SED MIHI OSTENDIT DEVS, NEMINEM COMMVNEM AVT IMMUNDVM DICERE] neminem scilicet vt immundum & pollutum, abominandum esse & auersandum. Ostendit autem id Deus per visionem vasis linei, & animalium immundorum, quæ significabant Gentiles, dicendo: *Occide & manduca: quod Deus purificauit, tu commune*, id est, pollutum & immundum, *ne dixeris*.

SINE DVBITATIONE] ἀναρτίητως, id est, ci-

VERS. 29.

tra contradictionem, vt vertit Tigurina; Syrus, A ces Petrum, hic te docebit fidem Christi, quæ te expedite; Pagnin. & Vatabl. incunctanter. ad salutem & beatitudinem perducet.

INTERROGO] Sciebat Petrus ex visione lin-  
teï, & ex instinctu Spiritus sancti, & ex nuntijs  
præmissis, quid vellet Cornelius. Interrogat ta-  
men eum, vt plenius Cornelij animum perscru-  
tetur, acuatque eius desiderium audiendi res  
fidei & salutis. ita S. Chrysoft.

VERS. 30. A NVDIVSQVARTA DIE] *ἄρτι τεταρτηνῆς ἡμέ-  
ρας*, id est, die abhinc quarta. ita Tigurina, Pa-  
gnin. & Syrus. Prima die viderat angelum, & mi-  
serat nuntios: secunda hi peruenerunt Ioppen: tertia  
ijdem inde cum Petro profecti sunt: quarta reuerte-  
runt Casaream, inquit Lyran.

Porrò Græca & Syra sic habent: Die abhinc  
quarto vsque ad hanc horam eram (hoc est enim  
*ἡμέλω*, licet Tigurina & alij apud Gagneium le-  
gant *ἡμέλω*, id est, sedebam) ieiunus, & hora nona  
precabar domi meæ. quorū verborum sensus cla-  
rus est hic, q. d. Quarto abhinc die eram ieiunās  
vsque ad horam hanc vespertinam, quādo mo-  
re meo orans hora nona, vidi angelum. Aliter  
vertit S. Chrysoft. scilicet: *à quatuor diebus eram  
ieiunans. cum hora nona orans vidi angelū.* Censet  
enim ipse quatuor hosce dies ieiunij Cornelij,  
præcessisse apparitionem angeli, quasi eam me-  
ruerit Cornelius per præuium quatruiduanū ie-  
iunium. Aliter quoque ex versione nostra vul-  
gari interpretantur alij, q. d. Ab hora nona nu-  
dius quartus, quādo mihi oranti apparuit ange-  
lus. hucusq; mansi ieiunus & orans. Hunc enim  
sensem exigere videtur *τὸ ἀ νυδιὺς quarta die.*  
Vnde sequitur, Cornelium in oratione ieiunū  
(vt habet Græca & Syra) perstitisse per quatri-  
duum, scil. vsque ad aduentum S. Petri, itaq; se  
præparasse ad recipiendam Christi fidē & bap-  
tismum. Dicit verò *eram*, potius quàm sum, vel  
māsi, aut nianeo, quia maximè vrget initiū ora-  
tionis suæ, quando ei apparuit angelus: & quia  
iam paulò antè ab oratione cessarat, scilicet mox  
vt aduenit Petrus. Verūm hic sensus dissentit à  
Græco & Syro: quare vt ei cōsentiat versio no-  
stra Latina, sic exponēda est q. d. Nudius quarta  
die, id est nudius quartus, erā orās hora nona vs-  
que ad hanc horam, scilicet vespertinam: videtur  
enim Petrus vespere peruēnisse Ioppen, & in-  
gressus domū Cornelij, vt itinerantes facere so-  
lent. Primus ergo sensus est genuinus. Nudius-  
quartus enim, inquit Festus, componitur ex *nunc*  
& *die quarto*, q. d. Nunc est dies quartus. Vnde à  
*nudius quarta die*, idem est quod, ex nunc quarta  
die, siue quarta abhinc die, vt habent Græcus &  
Syrus: *nudius*, enim idem est quod, *nunc dies*.

ORANS ERAM HORA NONA] Notat Beda &  
Gloss. nonnullos codices Latinos & Græcos sic  
legere, *adorans eram à sexta vsque ad nonam*. Vn-  
de & Oecum. censet, eum orasse per tres horas  
antequam angelus veniret; sed vera lectio &  
expositio est ea, quam paulò antè dedi.

IN VESTE CANDIDA] Græcè *λαμπρῶς*, id est  
*splendida*: color enim candidus est lucidus & splē-  
didus. Vnde olim vestis candida erat nobi-  
lium, & ambientium magistratus, qui inde vo-  
cabantur Candidati.

VERS. 31. EXAUDITA EST ORATIO TVA] qua orasti pro  
salute tua & tuorum: vnde suggero tibi, vt vo-  
Carnel. in Acta Apost.

ET ELEEMOSYNÆ TVÆ COMMEMORATÆ  
SVNT] q. d. Deus recordatus est eleemosynarum  
tuarum, ac propter eas impertiet tibi lucem  
Euangelij. Vide dicta v. 4.

NVNC ERGO OMNES NOS IN CONSPECTV TVO  
ADSVMVVS] quasi prompti & parati audire, & fa-  
cere quæcumque ex Deo iusseris. Græca iam  
habent, *in conspectu Dei*: quod Tigurina vertit,  
*teste Deo*; Vatabl. *conscio Deo omnes adsumus*. q. d.  
Testamur Deum, & iuramus nos paratos audi-  
re, & facere ea quæ tibi præcepta sunt à Deo.

IN VERITATE COMPERI] *καταλαμβάνομαι*, id  
est, comperio, deprehendo, video. VERS. 34.

QUIA NON EST PERSONARVM ACCEPTOR DEVS]  
Græcè eleganter dicitur vna voce, *ὅτι ἐστὶ θε-  
σσωπολήτης*, q. d. Deus non est personaceps, vt scili-  
cet Iudæos (vt ipsi putant) præ Gentibus, sicut  
ad Synagogam Mosis, ita & ad Ecclesiā Christi  
elegerit; sed paratus est omnes in Christum cre-  
dere volentes in gratiam recipere, siue Gentiles  
sint, siue Iudæi. Hoc enim nationis discrimē in  
electione hac ad gratiam, Ecclesiam & salutē,  
non respicit Deus. Nota. Hęc personarum accep-  
tio hoc loco non est illa, quæ est vitium oppo-  
situm iustitiæ distributiæ. Deus enim hac iusti-  
tia non ligatur: quia homines ad Dei gratiā, fi-  
dem & salutem nullum ius habent. Vnde Deus  
sine vlla iniuria, & sine vitio acceptionis perso-  
narum potuisset eligere Iudæos ad christiani-  
smum, & ab eo excludere Gentes. Ergo hæc ac-  
ceptio personarū hoc loco est illa, quæ fit in re-  
bus gratuitis, quæ ex mera donātis libertate pē-  
dent, vt si diues velit facere eleēmosynam, sed  
certis personis dūtaxat, v. g. suis ciuibus, vel sub-  
ditis. q. d. Deus in distribuendis suis fidei & gra-  
tiæ donis non respicit personam, an videlicet  
Iudæus sis an Gentilis, sed vtrilibet eam offert,  
ac præsertim in omni gente qui timet Deum, & o-  
peratur iustitiā, acceptus est illi, vt tu o Cornelii,  
licet Gentilis, quia times Deum, & operaris iusti-  
tiam (hoc ipso enim dignior es Iudæis), acceptus  
es illi, ideoq; per me tibi fidē explicitam Christi,  
baptismum & christianismum impertiet. Vide  
quæ de personarū acceptione dixi Rom. 2. 11.

ET OPERATUR IUSTITIAM] *Iustitia* hic Primò,  
accipi potest generaliter, vt virtutes omnes cō-  
tineat, sitq; earum cōplexio, à qua denominatur  
iustus. Sic etiam accipitur ab Arist. 5. Ethic. c. 1.

Secundò, *iustitia* accipi potest pro eleēmosyna.  
Cornelij enim iustitia maximè sita erat in ero-  
gandis eleēmosynis. Sic accipitur psal. 111. 9. *Dis-  
persit, dedit pauperibus: iustitia eius manet in saculū  
saculi: iustitia*, id est eleēmosyna, quā dispersit in  
pauperes. Ratio est, quia per eleēmosyna exple-  
mus triplex ius & debitū; nimirū id quod debe-  
mus proximo, nobis & Deo: homo enim homini  
debet humanitatē: sibi debet, vt suæ naturæ cō-  
fortem ac concorporalē & cōsanguineum, quasi  
suū fratrem adiuuet: Deo debet, vt, cum ipsi in se  
benefacere nō possit, id faciat eius imagini, putā  
homini, quem Deus creauit ad suā imaginē &  
similitudinē, vt esset quasi Deus quidā terre-  
stris; præsertim cum Deus in tota Scriptura id  
tātō opere iubeat & cōmendet, sibiq; id fieri ælti-  
met;

VERS. 35.  
*Iustitia  
triplex.  
Prima.*

*Secunda.*

*Eleēmosy-  
na soluit  
ius Deo, si-  
bi, & pro-  
ximo.*

met; atque huius rei ratione exacturus sit in die iudicij, ac misericordes celo. immisericordes inferno adiudicaturus, Matth. 25. v. 35. Hinc Hebr. affines sunt voces. & per metathesin penè eadem <sup>707</sup> *chesed*. id est. pietas, misericordia; & <sup>713</sup> *tsedec*. id est. iustitia; adeoque sepe <sup>7107</sup> *chafid*, id est. pius, misericors, idem est quod iustus & sanctus. Causas dedi 2. Cor. 9. 9. & Dan 4. 24.

Tertia.

Tertio, *iustitia* hic accipi potest antonomastice, sc. non qualis qualis, sed illustris, eximia & heroica. Sic capitur Eccli. 20. 30. *Qui operatur iustitiam, ipse exaltabitur.* Et Hebr. 11. 33. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam:* ibi enim Apost. heroica patrum facta, quasi fidei illustres effectus & elogia comemorat. Pari modo Cornelius non tantum iustus erat, sed illustra iustitiae & eleemosynae facinora edebat. Vnde praeter ceteris meruit visitari ab angelo, primusque Gentilium publice à S. Petro christianismo initiari. Quocirca S. Chrylost. omnibus Cornelium in exemplum iustitiae & bonorum operum, aequè ac remunerationis divinae proponit.

VERS. 36.

VERBUM MISIT DEVS] Hic Petrus finita praefatione rem orditur, ac Centurionem cum suis catechizat, ait Tertul. lib. de Corona militis c. 11. primae enim Apostolorum conciones fuerunt catecheses: de quo glorientur nostri catechistae, sintque eorum aemuli. Docet enim Petrus Iesum Christum à Patre missum in carnem, ad redimendum homines, ideoque passum, crucifixum, resurrexisse, venturum iudicem; per eius merita remitti peccata, dari gratiam & salutem. Nota. *Verbum* hoc accipi potest Primò, pro sermone & praedicatione Evangelij; Secundò, pro Verbo aeterno, id est filio Dei incarnato, hoc est, Iesu à Nazareth, uti se explicat Petrus v. 38. Sic enim de eo ait Iohan. in initio Euang. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, &c. Et Verbum caro factum est.* ita Hugo, Gloss. & Dionys. hic, ac S. Athanas. orat. contra Arrian. in illud, *Deus de Deo.* Tertio & planè, *verbum* hic accipias pro re verbo significata, puta pro rebus à Christo dictis & factis, de quo mox plura. Alludit Petrus ad illud Isaia 9 v. 8. *Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel.* Est enim utrobique eadem phrasus, sed dispar scopus & sensus. Vide ibi dicta.

Verbū triplex.

ANNUNTIANS PACEM PER IESVM CHRISTVM] puta pacem & reconciliationem cum Deo, indeque cum proximis, aequè ac pacem conscientiae. Vnde angeli Christo nato ilico cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis,* Luc. 2. Hanc pacem allatam à Christo saepe commendat Apost. ac praesertim Ephes. 2. 14. *Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, &c.* Vide ibi dicta.

HIC EST OMNIVM DOMINVS] Hic, scilicet Iesus Christus, qui proximè praecessit. Vnde Christi diuinitatem contra Arrianos ex hoc loco probat S. Athanas. loco iam citato & alij.

VERS. 37.

VOS SCITIS, id est, rumore audistis, ex fama communi confusè (nā distinctè & particulatim ignorabant: vnde docentur hic à Petro) cognovistis, QVOD FACTVM EST VERBUM] *Verbum* hic paulò aliter à nonnullis capitur, quā versu praec. ibi enim graecè erat *λογος*, hic verò est *ῥῆμα*.

A Verbum enim aeternum, puta Dei filius, in Scriptura vocatur *λογος* nō ῥῆμα ὄμμα ergo significat Evangelij praedicatione factam à Christo per totam Iudaeam. ita Hugo, Gloss. & Dionys.

Secundò & planius, *verbum* hic capitur metonymicè pro re, puta pro summa dictorum & factorum Christi, quam Graeci vocant *oconomia* Christi: hanc enim in sequentibus explicat & enarrat S. Petrus. ita Lyran. Caiet. Gagneus & noster Lorinus. q. d. Audistis famam praedicationis, miraculorum & gestorum Christi. Hunc esse sensum patet ex textu Graeco, qui sic habet, *ἡμεῖς οἶδατε τὸ ῥῆμα κατ' ἄλλης τῆς γαλιλαίας, ἀρχαίου καὶ τῆς Γαλιλαίας, καὶ τὸ εὐαγγέλιον ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης, Ἰησοῦς τῆς Ναζαρέτ, ὡς ἐποίησεν ἀπὸ τῆς Ἰερουσαλὴμ ἀρχαίου.* &c. id est. Vos scitis verbum quod factum est per totam Iudaeam, exortum à Galilea, post baptismum quem praedicauit Iohannes, Iesum à Nazareth, quemodo vixerit cum Deo Spiritu sancto. ita Pagnin. Figurina, Vatabl. Gagneus, & alij passim. Vnde patet Primò, *verbum* hoc esse Iesum à Nazareth, puta dicta & gesta Iesu Nazareni, quae scil. ipse post susceptum à Iohanne baptismum, accepto ab eo testimonio quod ipse esset Messias, cepit docere & facere, incipiens à Galilea, & prosequens per uniuersam Iudaeam. Vnde id explicans Petrus subdit: *Quomodo vixit eum Deus Spiritu sancto & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo.* Quare Vatabl. per metathesin vnus voculae *quomodo* sic exponit: *Vos scitis verbū quod factum est, scilicet, quomodo vixit Deus Iesum Nazarenum Spiritu sancto, &c.* ut pronomem *eum*, per pleonasmum Hebraeorum redundet. Patet Secundò, *verbum* hoc versu idem significare quod v. praecedenti, scilicet dicta & facta Christi. Patet Tertio, τὸ incipiens, vel, ut alij vertunt, *exortum*, referre *verbum*, quod praecessit, non *Deum*: sicet ergo Latina versio habeat, *incipiens enim à Galilea, subaudi fuit;* tamen Graeca nō habent τὸ enim: eo enim omisso sensus planè fluit.

POST BAPTISMVM QVOD PRAEDICAVIT IOHANNES] Pronomen *quod*, refert baptismum, quia sicut Graecis *βάπτισμα* dicitur in neutro genere, & *βάπτισμα* in masculino, sic & latine dicitur *baptismus* masculinè, & *baptismum* neutre, uti neutre usurpat saepe S. Aug. S. Hieron. & alij. Aliter haec legunt Rabanus & Beda, nimirum sic: *Vos scitis ut praedicauit Iohannes Iesum à Nazareth.*

IESVM A NAZARETH] Scilicet scitis esse *verbum* iam dictum: inde enim connexè haec omnia pendent, uti iam ostendi ex Graeco. De nomine Nazareni dixi c. 2. 22.

QVOMODO VNXIT EVM DEVS SPIRITV SANCTO] De hac vnctione dixi c. 4. 27. Vide Euseb. lib. 4. de Demonstr. cap. 15. vbi docet gratiam Spiritus sancti rectè vocari oleum & vnctionem, quia instar olei nitidos facit, lucidos, fortes, vegetos & hilares.

ET VIRTUTE] *δυναμεις*, id est *potentia*. Hanc enim Christus diuinam ostendit in patrandis miraculis, eijciendis daemionibus, conuertendis animis.

QVI PERTRANSIT BENEFACIENDO] *εὐεργετῶν*, id est *benefaciens*, ut rectè Christus cognominari posset *Evergetes*, id est benefactor, uti

Christus evergetes. que

Christus evergetes.

que longè veriùs quàm Ptolemæus ille rex Ægypti. ordine tertius. Proprium ergo Christi, eiusque affectuum est, nemini male, sed cuilibet benefacere. vt vbiicumque degit, spargat radios suæ beneficentiæ instar solis, qui iugiter currit & pertransit, vt lucem, calorem & influxum suum communicet hominibus, animalibus & plantis toto orbe dispersis.

Mor. de beneficentia.

Verè S. Bernar. ep. 253. ad Guarinum: Pertrās-  
iit, inquit, sicut non infructuosè, ita non remisè: non  
pigre, nò lento gressu, sed quemadmodù de eo scriptum  
est: Exultauit vt gigas ad currendā viam. Porro cur-  
rentem non apprehendit, qui & ipse pariter non cur-  
rit. Et quid prodest Christi sequi, si nò contingat con-  
sequi? Ideo Paulus aiebat: Sic currite vt cōprehenda-  
tis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectūq; metā,  
vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens  
vsque ad mortē mortem autem crucis. Idem serm.  
11. inter paruos: Iustitia, inquit, est in duobus, in in-  
nocentia & in beneficentia. Innocentia iustitiam in-  
choat, beneficentia consummat. Idem epist. 181. ad  
Haimericum: Beneuolus nil sibi charius ipsa estimat  
beneuolentia, qua & beneuolus nominatur, & benefi-  
cus est. S. Chryso. homil. 7. in Genes. Beneface-  
re, ait, homini, est beneficium magnum apud Deum  
deponere. Dei enim proprium est benefacere, sic-  
ut diaboli malefacere. Deum ergo patrem suū  
imitatur benefici. Audi Christum Matth. 5. 44.  
Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perse-  
quentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij Patris  
vestri qui in calis est, qui solem suum oriri facit su-  
per bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.

Quare Gentilis, non Christiana, est ista Cice-  
ronis vox: Beneficium nec in iuuenem, nec in senem  
conferendū est: in hunc, quia perit antequā gratia re-  
ferenda detur oportunitas: in illum, quia nò memi-  
nit. Pientius Tirus Vespas. Imper. aiebat: Non li-  
cere quemquam à vultu Imperatoris tristem discede-  
re. Idem recordatus se eo die nemini benefecisse:  
Amici, inquit, diem perdidimus. ita Sueton. in  
eius vita. Pythagoras rogatus, qua ratione homi-  
nes diis similes haberi possent? respondit, Si veritatē  
amplecterentur, & cunctis benefacerent. ita Ælian.  
lib. 12. Theophrastus rogatus, quidnam vitā hu-  
manam conseruaret? respondit, beneficētia. ita Sto-  
beus serm. 41. Anaxilaus interrogatus, quid esset  
in regno beatissimum? respondit, Numquā vincibi-  
neficiū. Publius Mimus: Beneficium, ait, qui dare  
nescit, iniuste perit. Alexander Seuerus Imp. roga-  
tus, Quis esset optimus? respōdit, Qui amicos mune-  
ribus retinet, & inimicos beneficiis ambit, sibiq; cōci-  
liat. ita Maximus serm. 9. de Magist. Epictetus:  
Sicut sol, inquit, non expectat preces vt exoriat, sed  
ilicō fulget ac salutatur ab omnibus; ita neq; tu ex-  
pectaueris plausus, strepitus & laudes vt benefacias,  
sed sponte confer beneficia, & aque ac sol ambieris, te-  
ste Stobæo serm. 44. de Magistrat. Præclarius  
S. Greg. Nyssen. orat. de pauper. amandis: Bene-  
ficentia, inquit, est omnium virtutum laudatarum  
præstantissima. Hæc est felicitatis comes. Hæc asidet  
Deo, & magna est cum ipso necessitudine coniuncta.

ET SANANDO OMNES OPPRESSOS A DIABOLO ]  
καταδυνασάσασομένους, id est, potentia & tyranni-  
de diaboli in potestatem eius redactos, oppres-  
sos, & sub iugum missos, possessos scilicet à dia-  
bolo, vel corpore, vel anima, vel vtroque. Dia-

bolus enim erat princeps mudi; sed eū suo prin-  
cipatu tyrannico deiecit Christus, Luc. 11. 12.

QVONIAM DEVS ERAT CVM ILLO ] Primò, per  
vnionem hypostaticam. Secundò, per gratiam  
eximiam, singularem & capitalem, qualis dece-  
bat vnigenitum Dei. Tertio, per potentem ope-  
rationem miraculorum & sanitarum, perq; ef-  
ficacem prædicationē, qua mentes hominum il-  
luminabat, & ad Deum conuertebat. Inde vo-  
catus est Emmanuel, id est, nobiscū Deus, Isaia 7.  
14. Facessat ergo Nestorius, qui ex hoc loco &  
similibus inferebat, Christum esse merū homi-  
nem, nò Deum; quia Deus erat cum illo, scilicet  
homine Christo; alia ergo erat persona hominis  
Christi, alia Dei, qui erat cum illo homine. Re-  
spondeo enim negando consequentiam: nam qd  
illo, significat hominem Christum existentem,  
non subsistentem in propria persona, sed in per-  
sona Verbi, ac proinde non significat personam  
hominis, sed naturam & existentiam hominis  
in concreto: in hac enim erat Deus per vnionē  
hypostaticam, ac consequenter ei suam hypo-  
stasin & subsistentiam diuinam communicabat.  
Aliter ergo Deus est in nobis, aliter in Christo:  
in nobis enim tantum est per gratiam & opera-  
tionem, in Christo etiam per subsistentiam.

Deus in  
Christo tri-  
pliciter.

NON OMNI POPULO ] suscitatum Christum ne-  
mo vidit impiorum, ait S. August. tract. 76. in Io-  
hannem.

VERS. 41.

QVI CONSTITVTVS ] (ὡς ἐπέμειν) id est, definitus,  
destinatus, designatus ] EST A DEO IVDEX ] Ni-  
mirū quā homo, quia filius hominis est, vt ait Iohā.  
c. 5. 27. vt scil. in humana natura gloriosa, visibi-  
liter iudicet omnes homines in valle Iosaphat  
in vltimo mudi die. Hæc enim potestas iudicia-  
ria debita est humanitati Christi ob vnionē cum  
Verbo: loquitur S. Petrus primariò de iudicio  
vniuersali, secundariò de particulari: hoc enim  
vniuersali annexum & subordinatum est. Chri-  
stus enim particulatim singulos homines iudi-  
cat, dum moriuntur, non quòd singulorum ani-  
mæ deferantur in calum, Christoque iudici iudi-  
candæ sistantur, vt velle videtur S. August. de  
Vanitate sæculi c. 1. S. Chryso. hom. 46. ad pop-  
ul. & S. Bernard. in Medit. c. 2. nec enim decet  
peccatores in cælū eleuari: non etiā quòd Chri-  
stus personaliter in terrā descendat, vt quemque  
morientem iudicet, vt videtur velle Innoc. III.  
lib. 2. de Cōtemptu mundi c. 43. sic enim Chri-  
stus quolibet momēto deberet è cælo in terrā,  
imò in varia terræ loca simul descendere: sed  
quòd animæ defuncti statim post mortē intelle-  
ctualiter loquatur, eiq; sua facta representet, ac  
pro meritis, vel demeritis cuique sententiā qua-  
si iudex dicet & proferat. Sicut enim angelus  
in Oriente potest loqui alteri angelo, qui est in  
Occidente, per mentalem locutionē; ita Chri-  
stus gloriosus in cælo, mentaliter potest loqui  
animæ existenti in terris. ita Franc. Suarez 3 p.  
tom. 2. disp. 52. sect. 2. licet nonnulli sentiant,  
Christum particulare cuiusque iudicium pera-  
gere per angelum eius custodē, vt dixi c. 7. 58.

VERS. 42.

Quomodo  
Christus  
agat parti-  
culare cui-  
usque iu-  
dicium.

Nota. Hanc potestatem iudicariam habuit  
Christus in actu primo, à primo instanti concep-  
tionis suæ, & vnionis cum Verbo. Ex tunc enim  
habuit ius & potestatem iudicandi omnes,

æquè ac dominium vniuersi & creaturarum omnium: sed vsus & exercitium huius potestatis accepit in resurrectione: tunc enim accepit gloriam regnantis statumque dominantis; dum enim viueret habuit statum se humiliantis & patientis, merentis & morientis.

VIVORVM ET MORTVORVM] Id est, iustorum & iniustorum, ait S. Chrysostr. hom. 1. de Symbolo, & S. August. Enchir. c. 5. animarum & corporum, ait Rufinus in Symbolo. Verum hæc myca & symbolica sunt. Dico ergo ad literam, viuos hic vocari eos, qui in die iudicii viui reperiuntur; ceteros vocari mortuos, non quod & illi viui morituri non sint, sed quod è morte illic sint resurrecturi, ita ut mors eis sit potius transitus ad vitam, quam interitus. Vide dicta 1. Thessal. 4. 15.

Hinc patet, omnes omnino homines resurrecturos, presentes fore Christo in die iudicii, ab eoque iudicandos, etiã paruulos sine baptismo in peccato originali mortuos, ut docet S. Gregor. 9. Moral. cap. 12. vel 16. & S. August. lib. 3. de Libero arbr. cap. 23. & plerique Scholastici in 4. dist. 47. omnes enim subditi sunt iudici Christo, sicut pro omnibus idem natus & mortuus est. Christus itaque in paruulos proferet sententiam medianam: non enim admittet eos in celum, ut beatos; nec damnabit ad ignem gehennæ, ut damnatos. Puniet ergo eos poena damni, id est, priuatione celestis gloriæ ob peccatum originale, non verò poena sensus: hæc enim respondet peccato actuali, quod paruuli non habent.

VERS. 43.

REMISSIONEM PECCATORVM ACCIPERE] Id est, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomē eius, quisquis crediderit in eum, ut vertit Tigurina; qui scilicet in eum crediderit fide, non mortua, sed viua, que in spei, timoris, inuocationis, charitatis & ceterarum virtutum actus se exerit; ut scilicet credat Christum esse mediatorē inter Deum & homines, eiusque passionis merito Deum remittere peccata, ac ut talē inuocet, amet, veneretur, eiusque legi & præceptis per omnia obediat. ita contra hæreticos huius temporis explicat & docet S. Iacobus c. 2. 24. Cur Apostoli passim inculcent beneficiū remissionis peccatorum, causas dedi c. 5. 31. & c. 2. 38. licet enim Cornelius iam esset iustificatus, tamē etiam iustus septies in die cadit, saltem in peccatum veniale. Adde, in domo Cornelij multos fuisse, qui necdum remissionē peccatorum acceperant, sed iam à S. Petro erant accepturi per fidē Christi. Denique docet hic S. Petrus vim baptismi, quod nimirum remittat peccata, adeoque nemo iustificetur nisi eum actu suscipiat, vel habeat in voto, uti habuit Cornelius.

VERS. 44.

Cecidit Spiritus sanctus. Quomodo?

CECIDIT SPIRITVS SANCTVS] visibili specie, scilicet in igneis linguis, incumbens capiti Cornelij & domesticorum eius. Hac enim specie descenderat in Apostolos. Id patet ex c. seq. v. 15. vbi dicitur: Cecidit Sp. sanctus super eos, sicut & in nos in initio, putà in Pentecoste, per linguas igneas. Vnde & sequitur: Audiebant enim illos loquentes linguis. Porro cecidit Spiritus sanctus in eos antequam baptizarentur: vnde sequitur, eos ad catechesim S. Petri fidē in Christum concepisse, ac contritionē de peccatis, cum audirent remissionē peccatorum sperandam, & petendā à Christo, per eamque se esse iustificatos. Ita disposuit Deus, ut Iudæi

A Petrum non possent arguere, quod eos utpote Gentiles, baptizasset & christianismo initiasset, utpote cum vidissent in eos iam antè descendisse Spiritum sanctum, qui suo descensu eos sibi in filios adoptabat, itaque significabat eos in Ecclesia sua esse cooptandos, ita S. Chrysostr. Quare imperite hoc loco argutatur hæretici: Cornelius ante baptismum recepit Spiritum sanctum: ergo eum non confert baptismus; sed is tantum est signum iustitiæ & gratiæ per fidem acceptæ: perinde enim est ac si sic arguteretur: Contritio confert Spiritum sanctum: ergo eum non confert baptismus. Inepta enim est utraque consequentia. Idem enim effectus, putà gratia Spiritus sancti, à pluribus causis promanare potest, putà à contritione, & à baptismo. Adde, contritionem includere votum baptismi, & sine eo non conferre Spiritum sanctum, uti superius dixi. Denique hic illapsus Spiritus sancti in Cornelium ante baptismum, fuit privilegium speciale ei soli concessum, quod regulæ legi que communi, iuxta quā per baptismum datur remissio peccatorum & gratia Spiritus sancti, non præiudicat.

VERS. 45.

EX CIRCUMCISIONE, EX IUDAISMO, FIDELES] Est synecdoche: ponitur enim circumcisio pro tota lege Moysi, quia ipsa eius erat initium & professio, uti est baptismus legis nouæ & christianismi. Secundò, ex circumcisione, id est, circumcisi, putà Iudæi fideles & Christiani. Est græcismus, de quo dixi Rom. 4. 12.

QVIA ET IN NATIONES (id est, Gentes & Gentiles) GRATIA SPIRITVS SANCTI EFFUSA EST] Putabant enim Iudæi Christum Christi que gratiā, & Ecclesiam, Iudæis solis esse promissam & destinatam à Deo, & Gentes ab ea excludendas.

C GRATIA] δωρεάν, id est, donum gratuitum, id est, eoque gratia.

ET MAGNIFICANTES DEVM.] loquentes magnalia Dei, tum orbi toti, tum sibi præ ceteris Gentilibus per Christum præstita, ideoque ex intimo cordis, deuotionis & gratitudinis sensu. Vide dicta cap. 2. v. 11.

VERS. 46.

TUNC RESPONDIT PETRVS] id est, coepit dicere. Nam respondere in Scriptura est ordiri sermonem, etiam si nulla præcesserit interrogatio, uti hic nulla præcessit.

VERS. 47.

NVMQVID AQVAM QVIS PROHIBERE POTEST?] Contradicit Petrus prohibentibus Iudæis, ait S. Chrysostr. q. d. Vos o Iudæo-Christiani putatis ad solos Iudæos pertinere Christum, Christi que baptismum, ideoque vultis prohibere Gentes, ne eo abluantur: at non potuistis prohibere Spiritum sanctum, quominus illaberetur in eas: ergo nec potestis prohibere, quominus eius baptismum baptizentur. Baptismus enim est Sacramentum Spiritus sancti. Vnde S. August. hom. 23. inter 50. Ipsa, inquit, attestatio rei magnæ quasi acclamatio est (à Spiritu sancto & Christo) ad Petrum: Quid de aqua dubitas: iam ego hic sum. Hinc Secundo, per metaphoram vocis aquam, ita planè vertit Pagnin. & Tigurina, num quis prohibere potest, quominus aqua baptizentur. &c. ut scilicet per hoc Sacramentum initientur christianismo, sicutque ciues Ecclesiæ.

SICVT ET NOS] visibiliter per linguas igneas, accipiendo donum linguarum.

ET IVSIT EOS BAPTIZARI] à suis comitibus: Apostolorum enim erat euangelizare, minorum facer-

VERS. 48.

sacerdotum baptizare. vt docet Paulus 1. Cor. 1. 17. Sic Christus per se prædicabat, per Apostolos baptizabat. Lucæ 4. 18. & Iohan. 4. 2.

S. Cornelius Episcopus Cæsareæ.

IN NOMINE DOMINI IESU ] Puta baptismo Christi. Vide dicta c. 2. 38. Cornelium hunc post Zachæum, creatum esse à S. Petro Episcopum Cæsareensem, testatur Martyrol. Roman. 2. Febr. & Clém. libr. 7. Constit. c. 46. Adhæc Cornelij domum conuersam esse in Ecclesiam, eamque adhuc extitisse tempore S. Hieron. docet ipse epist. 27. vbi describens nauigationem & iter S. Paulæ ait, ipsam Cæsareæ inuississe domum Cornelij iam Christi factam Ecclesiam. Porrò Sanctorum catalogo ascriptus est Cornelius 2. Februarij, vbi sic habet Martyrol. Rom. Cæsareæ in Palestina S. Cornelij Centurionis, quem B. Petrus Apostolus baptizauit, & apud præfatam urbem episcopali honore sublimauit. Vita huius S. Cornelij extat apud Surium ex Metaphrasse 13. Septembr. sed in qua quædam apocrypha contineri censet noster Lorinus. & tale quid redolent.

An Cornelius primus ex Gentibus sit conuersus?

Quæres hinc Primò, an Petrus & Apostoli vsque ad Cornelij uocationem, ignorarint Gentes vocandas esse ad Christum, eisq; prædicandum esse Euangelium? an Cornelius omnium omnino Gentilium primus sit conuersus & baptizatus? Affirmant nonnulli, quia id videtur visio & narratio huius capituli significare.

Resp. negatiue. Prob. primò.

Verùm contrarium multi moderni viri docti sustinent, idq; videtur verius. Primò, quia Christus ascensus in cælum disertè dixerat, & iusserat Apostolis, vt euangelizaret Gentibus: Euntes, inquit, in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturae, id est omni homini, Matth. 28. Et: Eritis mihi testes in Iudæa & Samaria, & vsque ad vltimum terra. Act. 1.

Secundò.

Secundò, quia Apostoli viderant Gentiles deduci ad Christum, ab eoque suscipi, Ioan. 12. 20. rursum ab eo sanari filiam Chananææ, vtiq; Gentilis, Matth. 15. 22. Adhæc audierant primitus tres Magos ex Oriente à Deo, duce stella, vocatos ad præsepe Christi: hi autem erant primitiæ Gentilium. Insuper viderant curatum à Christo seruum Centurionis Romani, Matt. 8. 5. quem Lucius Dexter in Chronico, scribit origine fuisse Hispanum, & Hispanis prædicasse Christum. Sic enim ait: C. Cornelius Centurio Caphernaumensis, dominus serui quem Dominus sanauit, pater etiam C. Oppij Centurionis, erat Hispanus: mirè floret in Hispania. Et de eius filio: C. Oppius, inquit, Centurio Hispanus, credit Christo morienti in cruce. Ex Gentilibus hic primus à Christi morte credidit, qui fuit ciuis Romanus, baptizatusq; à S. Barnaba factus est tertius Mediolanensis Episcopus. Vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem & eclipsin admirabilem primus omnium Hispanis genti sua, cum audientium stupore refert.

Tertiò.

Tertiò, quia ad hoc Apostoli in Pentecoste receperat Spiritum sanctum in linguis igneis, vt ijs irent prædicatum gentibus omnibus totius orbis. Hoc est enim quod ex Ioële citat & proficitur ibid. v. 17. & 21. S. Petrus: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, &c. Et erit: Omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Vnde & verisimile est, in Pentecoste, inter tot nationes tot linguarum & regionum quot

A recensentur Act. 2. fuisse aliquos Gentiles imixtos, qui ad concionem S. Petri cum Iudæis & Profelytis conuersi sint ad Christum, æquè ac in altera concione S. Petri, in qua ipse quinque hominum millia conuertit, Act. 4. 4. probabile est nonnullos ex eis fuisse Gentiles. Rursum Eunuchus Candaces reginæ Æthiopum conuersus à Philippo c. 8. à multis putatur fuisse Gentilis, vtpote Æthiops & Æthiopum princeps. Huc facit, quòd Saulus iam conuersus loquebatur quoque Gentibus, & disputabat cum Græcis, vt audiuius c. 9. 29. Et c. 11. 2. dicuntur fideles ex circumcisione, id est, circumcisi & Iudæi murmurasse contra Petrum, quòd ad Cornelium Gentilem diuertisset: quo satis significat, fuisse alios fideles ex præputio, id est, incircumcisos & Gentiles, qui factum Petri laudant, & Cornelio, vtpote Gentili & suæ gentis ac fortis, applauserunt. Eodem c. v. 20. dicuntur Cyprij & Cyrenæi euangelizasse Græcis, id est Gentilibus.

Quartò, quia idem Lucius Dexter asserit, Apostolos inter se diuisisse orbis prouincias ad ijs euangelizandum, anno Christi 34. paulò post eius ascensum in cælum, nimirum die vltima Iunij, 36. diebus post Pentecostè & receptū Spiritum sanctū, & Iacobum anno Christi 37. qui fuit annus tertius à morte, resurrectione & ascensione Christi, profectum esse in Hispaniam, ibique euangelizasse: esto enim eo tempore ibidem multi fuerint Iudæi, vt idem asserit, quis tamen neget eum Gentibus quoque, quæ longè plures erant, prædicasse?

Quartò.

C Dices, Quomodo ergo vulgò asseritur, quòd per conuersionem Cornelij, primò Gentibus apertum fuerit ostiū Euangelij & Ecclesiæ? Resp. id accipiendum & limitandum esse ad publicam, solemnem, & ex professo apud Gentes Euangelij prædicationem, quam Petrus visione cælesti accepta, iussus est publicè Iudæo-Christianis denuntiare, ne ipsi Apostolis ad Gentes ituris obfisterent, & Gentes ab Ecclesia repellerent. Docet id disertè hoc loco S. Chrysostr. scilicet S. Petrum secretò sciuisse se & Apostolos debere prædicare Gentibus, sed id non fecisse, ne Iudæos offenderet, donec visione cælesti admonitus, hanc esse Dei voluntatem Iudæis persuasit, præsertim cum ipsi viderūt visibile Spiritus sancti descensum in Cornelium & domesticos eius.

Publica prædicatio Gentibus cepit à Cornelio.

D Ita L. Dexter in Chronico anno Christi 40. qui fuit sextus ab ascensu Christi in cælum: Cornelius, inquit, Centurio Italicensis, Petro prædicantè repletur Spiritu sancto, Hierosolymisq; denuntiata solemnè Gentilium ad fidem Christi conuersione, Cornelius baptizatus floret. (Idem fusè docet Gaspar Sanchez in Appendice ad Acta Apost. siue tractatu 1. de Prædic. S. Iacobi in Hispania cap. 9. Porrò hic Flauius L. Dexter, fuit Præfectus prætorio, qui Chronicon hoc dicauit S. Hieron. vt ipse refert lib. de Script. Eccles. sed eo morte prærepto, dicauit illud S. Paulino. Vicissim S. Hieron. Dextro huic inscripsit librū de Script. Eccles. in quo eum dèponit & dilaudat. Chronicon hoc Dextri nuper Fuldæ repertum citat & laudat noster Gaspar Sanchez lib. 2. de Præfect. S. Iacobi in Hispan. cap. 2. & Christoph.

à Cæs-

à Castro in Histor. Deiparæ cap. 18. Vide dicta A  
in fine Chronotaxis.

Quoto an-  
no Christi  
Cornelius  
conuersus?

Quæres Secundò, quoto anno à morte & ascensu Christi conuersus sit Cornelius, & apertum publicè Gentibus Euangelium? Resp. id definiti non posse. Variant enim Chronologi. Primò enim Chronicon Alexandrinum, & Gaspar Sanchez tract. 1. de Profect. S. Iacobi in Hispan. cap. 10. censent Cornelium conuersum anno Christi 36. qui fuit à morte eius secundus. Secundò, Adrichomius in Chorolog. censet eum conuersum anno Christi 38. qui fuit à morte eius quartus. Tertio, alij moderni censent anno Christi 39. qui fuit à morte eius quintus. Quarto, L. Dexter in Chronico, scribit Cornelium conuersum anno Christi 40. qui fuit à morte eius sextus: anno verò Christi 41. Apostolos iuisse in suas prouincias: anno denique Christi 42. S. Iacobum ab Herode occisum. Quintò, Baronius & noster Gordonus in Chronol. censent Cornelium conuersum anno Christi 41. qui fuit à morte Christi septimus, & Caij Caligulæ Imp. secundus; quo & S. Matthæus scripsit Euangelium.

Resp. anno  
Christi 37.

Verisimilius videtur, Cornelium conuersum sub anno Christi 37. illo anno enim S. Petrus fundauit Ecclesiam Antiochenam, utpote apertam iam Gentibus publicè ostio fidei & Ecclesiæ. Vnde & in vita huius S. Cornelij habetur, quòd ipse conuersus profectus sit cum S. Petro Antiochiam. Licet enim Chronicon Alexand. tradat, S. Petrum posuisse cathedrâ Antiochiæ anno 4. post mortem Christi, qui fuit annus à natiuitate Christi 38. vel 39. idem quæ de an. Christi 29. censet Baron. omnes quæ eius sequaces, & multi alij, tamen mox ostendam id factum esse anno 37. Quis autem credat S. Petrum in Antiochia, utpote vrbe Gentili, posuisse cathedram, ante apertum Gentibus fidei ostiũ, quòd factum est per conuersionem Cornelij? Aut quomodo Iudei id æquis oculis & animis aspexissent, auelli nimirum à se caput Ecclesiæ, ite-

que ad Gentes, ac ad eas Ecclesiæ primatum, & Pontificatum transferre? præsertim cum S. Clemens lib. 10. Recogn. tradat, S. Petrum cathedram hanc Antiochiæ posuisse in domo Theophili, cui S. Lucas dedicat hæc Acta cap. 1. v. 1. qui Gentilis fuit, non Iudæus, ut patet ex nomine. Theophilus enim est nomen Græcum, significans Dei amantem: & quia Theophilus hic magistratu Antiochiæ fungebatur, teste Oecumenio. Eodem quoque anno Christi 37. videtur S. Iacobus profectus in Hispaniam, uti dicam cap. 12. Sic enim omnia optimè coherent. Nam conuerso iam Cornelio à S. Petro, sine nota & contradictione Iudæorum potuit S. Iacobus publicè prædicare Hispanis Gentilibus, ac post quinque annos rediens Hierosolymam, anno Christi 43. vel, ut volunt alij, 44. occidi ab Herode. ita recentissimi quidam, sed magni iudicij Chronologi. Hinc & nonnulli censent sub eundem annum Christi 37. Apostolos profectos esse in suas prouincias, utpote qui per Petrum cælitus admonebantur ad prædicandum Gentibus. Vnde Caiet. Actor. 9. v. 32. & alij, scribit Apostolos per orbem fuisse diuisos intra triennium quo in Arabia fuit Paulus, hoc autem triennium cœpit mox à conuersione eius, quæ facta est anno Christi 36. & terminatur anno Christi 39. licet Baron. quem multi sequuntur, censet Apostolos per orbem esse dispersos post occisum ab Herode Iacobum, anno Christi 44. de quo plura Actor. 12. v. 1. Itaque hæc sententia à posteriori valdè confirmatur ex eo, quòd omnes consentiant S. Petrum Antiochiæ sediisse per annos septem, scilicet vsque ad annum secundum Claudij, qui fuit Christi 44. quo sedem transtulit Romam. Computa enim hos septem annos retrorsum ab anno Christi 44. inuenies primum eorum annum, quo sedere cœpit Antiochiæ, incidere in annum Christi 37. Ergo eodem, vel certè præcedente, putà 36. conuersus est Cornelius. Hæc magis patebunt ex ijs quæ dicam cap. 12. 1.

## C A P V T V N D E C I M V M.

### SYNOPSIS CAPITIS.

**I**udæo-Christiani exostulant cum S. Petro, quòd Cornelium Gentilem induxerit in Ecclesiam. Petrus narrando suam & Cornelij visionem, eis satisfacit. Secundò, v. 20. narratur incrementum fidei, præsertim Antiochiæ: vnde eò mittitur Barnabas, qui cum Saulo totum annum ibi euangelizans multos conuertit: quocirca ibidem primò discipuli cognominantur Christiani. Tertio, v. 27. Agabus prædicit famem toti orbi instantem: quare fideles Antiocheni faciunt collectam, quam fidelibus Hierosolymitis per Saulum & Barnabam transmittunt.

1. **A**vdierunt autem Apostoli, & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & Gentes receperunt verbum Dei. 2. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: 3. Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducaisti cum illis? 4. Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens: 5. Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis summitti de cælo, & venit vsque ad me. 6. In quod intuens considerabam, & vidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & volatilia,